De curandis hominum morbis. Lib. V, pt. ii. / [Johann Peter Frank].

Contributors

Frank, Johann Peter, 1745-1821

Publication/Creation

Turin : D. Orgeas, 1809.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/fathh4pf

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

23,387/A

42900

DE

CURANDIS HOMINUM MORBIS

EPITOME

PRAELECTIONIBUS ACADEMICIS DICATA

AUCTORE

JOANNE PETRO FRANK

AUGUSTISSISSIMI IMPERATORIS ET TOTIUS RUSSIAE AUTHOCRATORIS CONSIL. STATUS ACTUALI, ET MEDICO, PRAESIDII INSTRUCT. PUBL. GENERAL. MEMBRO, ACADEMICAE MEDICO - CHIRURGICAE PETROPOLIT. RECTORE ET CLINICES PROF. P O. ACAD. GOETTING. MANTUAN. MOGUNTIN. SOCIET. MEDIC. PARISIENS. VENETOR HELVET. PATRIOT. MEDIOL. PHYSICO-MED MOSQUENSIS AC AGRICULT. BRIXIENS. ACAD. ET COLLEG. REG. MATRIT. SODALI.

LIBER V.

DE PROFLUVIIS.

PARS II.

TOM. VII.

TAURINI 1809.

Apud Dominicum Orgeas Bibliopolam.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

DE
CURANDIS PROFLUVIIS
LIBRI V. PARS II.

CLASSIS QUINTA

PROFLUVIA.

ORD. IV.

PROFLUVIA MISTA.

GEN. I.

RUMINATIO.

§. 653. CRESCIT sub manu scribentis amplissimum de profluviis argumentum, et quae de fluxibus *serosis*, *mucosis*, *cruentis* hucusque docuimus, haec illis, quae de *mistis* dicenda supersunt, locum praescriptum arriperent; nisi post ea, quae de nobilium fuga liquidorum praemissa sunt, breviores esse, ac doctrinam de materiae crudioris, nec penitus subactae, his vero ipsis commistae, jactura, contrahere liceret. Transitio.

Haec scilicet materia, ex tubo longissimo, cui primum res ex regno animali,

vegetabili tractas, propriique in corporis substantiam convertendas committimus, — vel istarum, vel suscipientis has canalis; — vel causae alterius ac remotae ex culpa; saepius, nunc ore, nunc ano, nunc utrasque simul per vias rejicitur; corpus necessario alimento privat, ac tempore eodem humoribus huic ipsi, lege sanitatis, aut morbi, affusis exhaurit. Quartum ideo hanc abdominalibus potissime, quisquiliis commistorum liquidorum jactura, profluviorum ordinem constituit: sub quo, primum, placidum ciborum, chymi, ex ventriculo per oesophagum in fauces ascensum, *ruminanti* animalium classi naturalem, in homine morbosum, — mox *vomitum*, — hoc absoluto, *choleram*, — post hanc vero *diarrhoeam*, ac tandem *dysenteriam* comprehendimus.

Ruminatio. §. 654. Qui cibos aequo copiosiores ingessit, ac multo simul hos in mero submersit, huic facile est, citra vomitum, vix assumta, nec gustu mutata, cum ructibus per oesophagum explodi, ac in fauces ascendere. Similia et debilis ventriculi

hominibus, aliquot a pastu horis frequenter, — ita ut ciborum subdulcem, vel subacidum jam saporem ad gulam percipiant, contingit. — Non vero de affectu tam communi ac levioris momenti hic disserimus; sed de morbo (etsi hoc negatum fuerit) perraro, a veteribus haud descripto, ac nobis modo semel in praxi longaeva et ampla oblato, sermonem instituimus.

Ruminatio hic dicitur, seu portionis ciborum unius post alteram, aliquam a pastu post moram, animalium modo ruminantium, praeviis sine nauseis, sputationibus, anxietate, et sine quovis ad vomitum nixu, ex ventriculo in fauces placida reductio, ac nova ejusdem, in multis, masticatio, deglutitio.

§. 655. In proprio exemplo, vir senex, Papiensis provinciae pharmacopola, hypochondriasi quadraginta et quinque jam ab annis summopere affectus, a tanto vero tempore, cibos, quos assumserat, absque nausea et vomituritione ulla, per oesophagum ad guttur elevare quotidie sole- Symptomata.

bat. *Dulces* esse, interrogatus, aeger constanter negabat. Post pastum lautiorem, partem ciborum dimidiam potuit pro lubitu ruminare, ac altera quoque die singulorum saporem, ordine, quos pridie deglutierat, inverso, distinguere. Sub finem aegritudinis diuturnae, tabe jam consumtus, acidam potius ciborum eructatorum esse indolem referebat; ac dum ad anteriora truncum incurvaret: dolores ad ventriculum acutissimos accusabat. Tumor vero ingens regionem ventriculo et umbilico intermediam, attactu perdurus, occupabat. Paucos post menses, mortem miserrimam subivit, et, ut nobis, cadaveris sectionem instituente a chyrurgo relatum fuit, scirrhum pancreatis insignem exhibuit.

Sunt vero, qui cibos mox a pastu, vel paulo tardius, — sunt, qui subdulcem jam in chymum subactos, cum oblectatione, nec prorsus sine arbitrio, ad fauces remandent. Sunt, qui assumta pridie fercula adhucdum semicruda, vel acidam in cramben conversa, cum aversione, per oesophagum sibi revertere, ac fau-

ces, nunc quotidie, nunc saltem frequenter, inquinare persentiant. Nec tamen ad vomitum res pervenit; sed aegrotantium pars maxima, fugientes per oesophagum cibos denuo, ac alternis quasi vicibus, — donec aliquot post horas, morbosa haec alimentorum regurgitatio sedetur, easdem per vias ad stomachum praecipitat.

Plerumque magna sese his in aegrotis debilitas ac turbae in abdominis visceribus non paucae, etsi vix tantae a primo aegritudinis initio, manifestant. Flatuum enim copia, ventriculi a cibis ingestis oppressio, lenta istorum subactio, ructus, borborygmi, et alvi obstructio vix non in omnibus occurrunt. Aeger, quem nos ipsi observavimus, a quo tempore ruminare inceperat, hypochondriasi, ut diximus, in summo gradu simul laboravit. Non in omnibus cibus, quem primum aeger assumsit, ex ventriculo ultimus, aut vice versa, — sed in multis sine ordine, regurgitat. Sunt, qui fame, hoc sub morbo, insigni laborent; sunt, qui eodem sat diu, sine magno detrimento, affecti incedant;

sed sub conspicuo ex causis aliis ventriculi labore, sub lenta, vel prorsus neglecta ciborum subactione, oportet universum corporis systema necessaria nutritione defraudari; nec mirum est quod sensim sensimque, sub tabe lenta et macie extrema, his aerumnis succumbat aegrotus. Ruminationem cum alter hominem morbus corripuerit, cessare, ubique non verum est.

Causae. §. 656. Ruminationis, diversis animalibus ex lege naturae impositae, causas nobis offerunt et ventriculi plures in partes divisio ac mira constructio; et praeceps ciborum, sine dentium officio, ad stomachum transitio. Est nempe illis et *ingluvies*, seu *aqualiculus*, et *reticulum*, et *omasus*, seu *centipellio*, ac denique *abomasus*, seu *faliscus*: quae saccum, distinctas in partes divisum, ingentem, sive quadripartitum ventriculum, constituunt. Angustum ex primo et secundo in tertium ventriculum est iter. Potulenta inter hic recipit per sulcum ab oesophago venientem, nunc ut aquae ingluviei ac reticulo

concedantur, apertum, — nunc vero, ut has solus suscipiat, clausum. Hinc a mole non nimus, quam ab asperitate confracti parum cibi vegetabilis, stimulus ventriculis, primo nempe atque secundo, talis infertur: qui ad assumta propius amplectenda ac ulterius protrudenda has partes invitet. Resistit ciborum nimis solidorum descensui reticulum; hinc per oesophagum ad fauces illi, donec satis comminuti, et cum saliva animalis satis misti, subacti sint, ter quaterve, aut quantum sufficit, ascendunt. Sunt alia, quae, simplici instructa ventriculo, ruminare dicuntur, nec tamen vere ruminant, animalia; ipseque homo, nisi morbo correptus, cibos haud eructat, et regustat assumtos. Sed intricata est *morbosi* hujus ratio phoenomeni: nec enim, ut fabula quondam ferebat, aut cornigero ex patre origo, aut duplex ventriculus, aut carnosior oesophagi conditio, hic adsunt, nec ea, quae chronicum saepe vomitum inducunt (§§. 662. 664. 669.), nec major oesophagi, ventriculum adeuntis, laxitas, nec acida hoc in viscere latentia, etsi haec adesse simul queant, ra-

riorem longe morbum ruminantium satis explicant.

Nostram de prima hujus morbi origine opinionem expositurí, praemittemus, nos credere: solitam hypochondriacis, flatus ventriculo contentos in fauces urgendi consuetudinem, ruminationis ab actu non aliter, quam *materiae ratione*, et quod gas sic explosum masticari ac ad stomachum reduci haud queat, differre. Pars major illorum, non prius, quam media vel absoluta jam quodammodo ciborum subactione, in aeriformis materiae per oesophagum explosione per horas occupatur: quo tempore jam stomachum liquerunt potulenta, solidorum vero reliquiae ciborum, tenuem jam nimis in crambem, quam ut facilius ascendant, conversae sunt. Qui vero post cibos avidius devoratos, dentium officio haud satis comminutos, medioque in mero natantes, explodendis in ructubus se promtius exercent: hi, cum aere, simul ingesta, vel nequidquam mutata, vel in dulcem modo chymum conversa, sine nausea regurgitant. Sunt multi, qui impurum adeo ex

naribus mucum retrahant in fauces, — qui expulsam cum tussi imis ex bronchiis, qualemcunque denique, materiam, oris in cavo, horroris expertes, revolvant, et ad stomachum, ut sua remandent; hinc illius quoque sine sensu, quae primum ex ventriculo in gulam ascendunt, nec gustu eandem, nec mentem cum nausea offendunt, a quibusdam ad ventrem reduci non mirabimur; ac erunt, quos assumti reditus ferculi gratioris primum delectet; qui non ingratum faucibus experimentum repetant frequentius, stomachumque inverso hoc in opere incauti, ad ipsam usque consuetudinem, cui demum resistere haud queunt, exerceant. Pars major certe illorum, quos ingestos ruminasse cibos compertum est, hypochondriasi ructubusque primum sat diu vexata fuit copiosis; ac plurimi ex illis, si demum redeunte a bolo nauseam percipiant: hanc tamen sub morbosi hujus operis initio vel minime senserunt. Nullum quidem in ventriculos arbitrio imperium est in sanis hominibus; sed est utique diaphragmati musculisque abdominis vicinis; vidimusque non paucos,

perfecta licet sanitate coeterum gaudentes, qui flatus ex stomacho, quoties id lubuisset, cum impetu sonoros explosérint; nec est inde, cur magis his in rebus exercitatis, tum cibos tum potum expleno ventriculo in oesophagum pro arbitrio, quin nausea hoc jubeat, urgendi potestatem abnegemus. Haec nostra, jam pluribus ab annis in publicis praelectionibus exposita, opinio, recentioris industria auctoris, exemplo in se ipso capto, nuper confirmata fuit. Voracitas hinc, alimentorumque vix concisorum contritorumque ad stomachum congestio, contracta jam dudum explodendis in ructubus consuetudo, tum denique minor primum a regerendis, quae ad gulam ascenderant, non ingratis gustui, cibis avertio potissimam ruminationis ad opus occasionem largiri videntur. Erunt utique et alia in multis ruminantibus, vel laesae digestionis, saburrae acidae, viscosae, flatulentiae, vel, ut nostro in aegro, et visceris adfecti alterius, symtomata (§. 655.), sed vel magis haec *cum* ruminatione, quam ut *causam* istius, subesse censenda sunt;

vel ipsa ruminatio illorum adinstar malorum, alterius aegritudinis, rarissimum, symptoma constituit.

§. 657. Nisi morbi alterius, difficilis, symptoma sit ruminatio; in longum satis tempus eam sine magno vitae discrimine perferri, docet longior plerumque, foedi licet, morbi decursus: ut qui nostro in aegro, etsi scirrhus pancreatis subesset, quadraginta tamen per annos extensus fuit. Minor certe a sola ruminatione, quam a vomitu, debilitas, quod sub illa, alimenti succique nutritii jactura sit nulla, exoritur. Nec etenim cibo, etsi hunc avidissime regerat, defraudatur ventriculus; sed redit is omnis sat prompte, longe melius subactus, ac salivae intimius commistus; nec aliud, si motum peristalticum per horas modo aliquas inversum excipias, foedae damnum consuetudinis esse potest: ut igitur maciem ac tabem, in quam tandem ruminantes incidisse referunt historiae, non tam ex illa, quam alio, eoque primario ex morbo latente, venisse credendum sit. Ruminationem ex patre in fi- Prognosis.

lium, alia quam exempli, aut vitii alterius auctoritate transire, etsi plures id asserant, haud credimus.

Cura. §. 658. Quem ab aliis modo corporis affectibus, vel a cibis avidius, sine dentium officio ingestis, et a perversa consuetudine derivandum esse credimus morbum (§. 657.), hunc, ni forte symptomaticum, nec propriam per methodum, nec alio, nisi constantis ciborum, regressum in fauces molientium, repressionis consilio curandum esse credimus. Quod vero tam parca nobis hoc in morbo experientia non offert, — hoc aliorum non minus observatio, quam ipsa ratio suggerat oportet auxilium. Cibos modo parcos, eosque facile subigendos, ac longo satis dentium officio submissos, frequentius ingerat, parumque liquidi cum istis hauriat aegrotus; ructuum per oesophagum explosioni, quo magis potest, resistat; cibos vegetabiles parumque nutrientes, imprimis acidos, farinosos evitet; vino autem satis generoso, austero, nec tamen multo, horis a pastu jam aliquot elapsis, fruatur.

Si quis alius ruminationi morbus, ut causa, subesse videatur; huic, si talia admittat, opportuna, alibique indicanda opponenda sunt auxilia.

ORD. IV. GEN. II.

VOMITUS.

§. 619. FREQUENS de *Vomitu*, tum sub *febrium* doctrina, tum *inflammationum*, quae viscera partesque magis sensiles corripiunt, in historia, tum demum occasione *exanthematum*, injecta fuit mentio; et cum nullum, si *canem* excipias, sit animal quod vomitum tam saepe, tamque evi ex causa, quam *homo*, exerceat, non est, qui morbosi hujus phenomeni ignarus sit, vel nauseosum ipsemet experimentum hinc inde non fecerit. Vomitus extensio.

§. 660. Vix enim utero concepit virgo foecunda ac vegeta, cum, seminis humani effectu in plurimas mulieres mirando, in vo- Frequentia.

mitum, quatuor praegnationis per menses et ultra repetendum, prorumpat. Ipse, qui jejunus ex utero proficiscitur, foetus, haud raro vomit. Matris ab ubere pendens, nimioque lacte turgescens, stomachum ter quater in die exonerat, mox a vomitu subridens puerulus; nec frequens deest adultis, etsi sanis, vel a rei aspectu, memoria ingratae, vel in vectione in curru aut nave, vel ab inspecto praecipitii discrimine, vomendi occasio: ut igitur vix morbum saepe dicas vomitum; aut certe plerumque alterius hic *symptoma* aegritudinis, vel ex universi systematis affectione pro habitu ventriculi, et proprio huic visceri sub turbis generalibus agendi modo, vel ex solo cum partibus amicis *consensu*, oriundum, appellari mereatur.

Hunc igitur vomitum, si ab eo, qui in *febribus* (§§. 55. 100.), in *gastride* (§. 232.), ac in *haematemesi* (§. 611.) subintrat, recedas, non erat quod pluris hucusque, ac alia morborum symptomata faceremus. Est vero, cur et suum tandem *vomitui*, qui *primarium* chronicumque ventriculi morbum constituit, locum assi-

gnemus; ac ea, quae sparsim de *Vomitu* in genere sunt dicta, et quae de eo dicenda supersunt, hic in unum contrahamus.

Antequam vero, quid sit vomitus, dicamus; ejusdem de comite, seu duce perpetuo, *nausea* nempe, *Vomendique conatu*, verba faciamus oportet.

Est ea scilicet ingrata et anxia circa stomachum perceptio, cum horrore a cibis, salivae in oris cavum affluxu adaucto, sputatione frequente, ac inani ventriculum superiora verus evacuandi desiderio. Nausea.

Quodsi crescente, sub nausea, tum ventriculus, tum ipsum diaphragma musculique abdominis hoc ipsum evacuationis ad opus sese componant; nec tamen istud perficiant: *vomendi conatum*, a nausea modo gradu majore distinctum, vocamus. Vom. conatus.

Eorum vero, quae ventriculo, tum solida, tum fluida, aere densiora, per oesophagum ingesta, — aut (ex intestinis, visceribus, vasisque annexis retrograda per pylorum restituta, commissa, — aut illinc secreta effusa fuerunt, ingrata, su- Vomitus.

bita, violenta per fauces, vel et nares expulsio, *vomitus* vocatur.

Ructus. Nec enim *ructus*, seu aeris, aut similis huic materiae subtilis, sonora per eos explosio, etsi haec vomitum plerumque praecedat, comitetur, pro ista habenda est; nec descripta (§. 654.) *ruminatio*, cui desunt et nausea, et anxietas, et impetus, huc spectant. Nec ad vomitum revocabimus reditum ciborum potusve ex solo oesophago, nunc spasmodice constricto, nunc aliis a causis occluso: quem morbum, etsi assumta hoc e canali hinc inde cum impetu prosiliant; *dysphagiae* potius sub nomine, alibi describendum, reservamus.

Differentiae. §. 661. Varias autem vomitus, ut partim jam dictum est, differentias, causarum ex ratione (§. 663.) petendas, agnoscit. Nunc etenim passu celeri, *acutus*, nunc lento, *chronicus*, incedit; nunc ventriculi, contentorum e culpa, *primarius*, *idiopathicus*, *localis*, — nunc alterius lege morbi, *symptomaticus*, vel ex solo *consensu*, proficiscitur; in hoc, sine or-

dine, *anomalus*, in illo, dato tempore, *periodicus*, *habitualis* revertitur, vel et per *artem* movetur. In aegri salutem subinde vomitus absolvitur, quem *criticum* vocarunt. Si materiae a ventriculo expulsae ratione vomitus divisio petatur, multiplex is erit: ut pote serosus, pituitosus, saburralis, biliosus, verminosus, faeculentus (ileum vocarunt), cruentus, insipidus, acidus, austerus, amarus, putridus, etc.

§. 662. Ex dictis (§. 660.) quae vomitum praecedant, commitentur, symptomata, jam sponte patescit; interim pro gradu illius et vehementia, causarum (§. 663.) pro indole, diversis, haec differunt, ac alia aliaque succrescunt. Symptomata generalis.

Vomitum *futurum* annunciant, sensus in ore, faucibus, imo stomacho et ventriculo molestus, nausea continuo adaucta, ardor, oppressio in regione epigastrii, expultio frequens, pallor faciei, horror aliquando et oscitatio, inferioris tremor labii, singultus, tussis, ructus, anxietas, alvi obstructio. Instantem praedicunt, vomendi conatus irriti, sub qui- Prodroma.

bus aliqua ventriculi commotio versus superiora sentitur; contrahuntur, mox iterum laxantur, iterumque tenduntur musculi abdominis, hypocondria; spiritus retinetur, ac inferiora versus diaphragma deprimitur; augetur anxietas, sudores ad frontem cutemque universam viscidi, subfrigidi propullulant; lacrymantur oculi, naresque stillant; rubet nunc facies tumetque, tussis augetur.

Vomitus ipsius.

Tandem non sine sensu violentae convulsionis ipsum ad ventriculum, sub artuum tremore, jactatione, sub ventris tanta constrictione, ut ipsa interdum intestina eundum deserere, ac herniam formare cogantur, largo hic flumine res, quas amplectitur, per oris, nec raro narium per cava simul, sub longa et sonora expiratione, cum impetu expellit; primum, pleno nisi stomacho, fere insipida, serosa, pituosa; posthinc et in filos ductilia; nunc, qualia ex reliquiis ciborum forte continuet; mox novo celeriter in pectus ducto aere, novoque visceris impulsu, subflava, amara, ac tandem profunde viridia, amarissima. Succedit his quies, et

magni levaminis gratissima sensatio. Post brevem interim moram, nisi causa malorum jam rejecta, cessante, sub iisdem fere symptomatis, redit vomendi conatus, priore intensior, majoremque praecordiis inferens angustiam. In vanum aliquoties inanis concutitur emulgeturque ventriculus; donec hepar cum fellis receptaculo, intestinum duodenum, diaphragmatis fornicisque abdominalis inter praela, angustius in spatium compressa, partem, quos continent, succorum, motu inverso, ventriculo, singulorum impatienti, transmittant. Haec ita esse, ostendit major faucibus rejectae, quam quae ventriculo contineri omnis potuisset, copia indolesque materiae; ostendit sanguinis foecumque ipsarum, et clysterum, sub *ileo* (§. 240.) miseranda per gulam expulsio.

Atque haec fere vomitum graviorem comittantur symptomata, leviora certe tenellis in pueris (§. 659.), in gravidis non paucis, et in illis; qui, largas post epulas, cibos potusque vel avide nimis, vel copiosius ingestos, more canum, e ventriculo rejiciunt. Pro vario tamen vomitus

decursu, aut celeri aut lento, periodico, aut pro causae vel in ipso ventriculo, vel alibi haerentis ratione, differunt illius symptomata.

Vom. acut. Sic in *gastride* (§. 232.), vel blandissimis a liquidis inflammato ventriculo commissis, sub extremi sensu ardoris, doloris, hic illico ad vomitum convellitur. In *cholera* (§. 672.), a veneno, aut drastico remedio ingestis, diu, quin cibus aut potus suscepti stomachum, intestina, ad motus, quos produnt, violentos sollicitent, continua fere per oesophagum et anum, humorum propriorum excretio est. A cibis potuque magna copia ingestis, non multas a pastu post horas, fibrae ventriculi nimium extensae, in spasmodicas contractiones rapiuntur, ac pondus inutile per vomitum excutiunt.

Vom. chronic. Aliter in *chronico*, *periodico* peragitur res *vomitu*. Hic etenim cibos ventriculus non ubique recusat; sed exigit interdum, ac per horas illinc gratus amplectitur; hic vero per dies, aut per menses illaesus suscipit: ut tandem quod superest ex illis, dato tempore impatiens excutiat. Has igi-

tur vomitus diuturni ac rebellis species praecipuas succintius hic exponi juvabit.

§. 663. Nunc scilicet ob victus, pridie, imprimis ad noctem, assumti, vel copia, vel indole peccantis, — cibi nempe vel pinguis, rancidi, vel crudi, tenacis, vegetabilis, acidi, aut potus fermentationi obnoxii, cerevisiae, vini rationem, altera mox die, ad oras matutinas, circa stomachi regionem constrictio ingrata, copiosae exsputio salivae, densioris pituitae screatio continua, sapor oris perversus, et ructus, et nausea, majorque in praecordiis ardor et angustia accedunt. Sequitur haec tandem aut aquae clarioris ac fere crystallinae, plerumque insipidae, acidae nonnunquam, vel et amare, sub conatu a vomitu diverso, per oesophagum ex faucibus, unam alteramve ad unciam, vel et longe ultra, adinstar rivuli, ascensus; aut pituitae tenacis, glutinosae, albescentis, subpellucidae, insipidae, interdum amarae, ex acido austerae, ciborum cum reliquiis hinc inde commistae, per oesophagum eructatio, aut vomitus. Sunt alii, hypo- V. helio-num, s. Pyrosis.

chondriaci imprimis vitamque desidem ducentes homines, qui licet a *pingui* alimento abstinuerint; post aliquot tamen dierum spatium, nauseam periodice, cum liquoris insipidi, mucosi, interdum etiam acerbi, vel amaricantis modico; *pinguedinem* haud exiguam super pavimento adinstar *sebi*, late satis, nunc dimidii calami scriptorii, nunc aliquot fere pollicum diametro concrescentem, mollem ac ductilem ab initio, sed mox ab aeris attactu duriorem, ignem sat promte concipientem, et ad eum liquescentem, e stomacho rejiciant. Infantes, pueri non raro ob voracitatem, ob lactis, vel pultis, ex eo farinaque paratae, ob fructuum horreorum, acidorum abusum, a ventriculi oppressione, tumore, ardore, dolore colicisque adfectibus corripiuntur, convelluntur interdum; donec plenum oesophago stomachum exonerent, aut pituitam acidissimam per vomitum excutiant. Ab his, grata aegroto quies, levitasque oppressi prius ventriculi conceditur; sed pristina diaetae in vitia reverso, per vices eadem, matutinas circa horas, labescentis ventri-

culi incommoda succedunt: ciborum desiderium languescit, deletur, majorumque congeries malorum exstruitur.

§. 664. Quodsi nempe vomitus, aut his causis longo tempore agentibus, aut rebus, quae partes corporis molles indurant, et callum aut scirrhum in eisdem producunt (§§. 126. 129), praemissis, — aut demum illis, quae stomachum, intestina comprimere queunt, praesentibus, certa fere ad horas a cibis assumtis revertitur; ad ipsum tunc ventriculum, circa pylori angustias plerumque, interdum ad ipsas hujus sacci membranas, vel ad intestinorum, aut visceris, partis alterius, ventriculo vicinae, substantiam, causa vomitus haerebit. Assumtorum scilicet omnium vomitus impeditam ventriculi intestinorumque dilatationem consequitur, sive ipsa dilatare se non patiantur; sive opposita sint eorum dilatationi obstacula. V. a Coarctatione.

Nunc etenim ipsius *membranae* ventriculi, vel modo hinc inde, vel in totum, duriores, crassiores et chartae pergamenae aequales redduntur, ac vix non car- Ventriculi.

tilaginis aemulantur duritiem; aut varii, has ipsas inter membranas, *tumores* glandulosi, scirrhosi, cystici, aliique protuberant; ac non modo partem cavi, stomacho concessi, suam per molem, adimplent, locumque cibis necessarium praecludunt, superficiem ejusdem, prius levem ac planam, tuberosam efficiunt et asperam, sed simul totius figuram distrahunt, contorquent, positionem invertunt, aequali hujus sacci extensioni, ac humorum per sua vasa distributioni resistunt, et pondus hujus visceris adaugent.

Pylori. Nunc vero, ac fere frequentius, eadem substantiae ventriculi vitia circa *pylorum* oriuntur, et arctam jam viam angustiorem longe reddunt; vel, quod ita pridem conspeximus, ac in museo pathologico *Viennensi* conservavimus, ut nec aerem quidem, ne chymum dicamus, transmittat, penitus occludunt. Hoc idem efficitur a rebus, quae subigi solvique per vires animales haud possunt, ventriculo commissis, et suam ob molem, figuram, ad pylori angustias defixis; ut prunorum a nucleis, ab ossibus, a nummis, aliisque hujus indolis a corporibus incaute devoratis,

Nunc ipsa *intestinorum in substantia*, vel eorum in *cavo*, nascuntur similia praedictis obstacula. In illa nempe, primum, tot glandulae, follicuii mucosi, quae ex causis diversissimis apud multos turgere, ac in duros, nec raro conspicuos tumores elevari cernuntur. Tantus quoque vasorum omnis generis, tantusque nervorum acutissime sentientium numerus hic est, ut his in locis, tot causis irritantibus continuo expositis, frequentior sit, quam alibi inaequalis, spasmodica contractio, violenta extensio, vasorum compressio, impeditus humorum circulus, canalium repletio, infarctus, ac humorum, vel in istis stagnantium, vel in contextum cellulosum, membranis interpositum, effusorum, solidam in massam conversio, polyposa concretio. Ipsum adeo *emphysema*, ab aeriformi materia, cellulosam intestini telam ingressa, hic natum esse, sectiones docuerunt. Atqui jam solis his a causis *cavo* intestinorum partem sui luminis non exiguam saepe detrahi oportet; nec rarum est, intestina, tam tenuia quam crassa potissimum, vel uno, vel pluribus in locis,

Intestinorum.

plures adeo longitudinis ad pollices, tenuem in diametrum *contracta*, dura, et vix non callosa, alimentis lento fluxu huno ad locum adpellentibus pertinaciter resistere, ac parte fluidiore transmissa, foeces densiores, ampliore indies, super loco obstructo, in sacco retinere, colligere, ac propriae corruptioni diutius committere. Nec certe desunt corporum, duriorum, nucleorum, nummorum ossium, concretionum terrearum, calculorum, vermium, amplos in glomeres contortorum, copiosa exempla.

Volvulus. Sed ipsa sibi obicem intestina hinc inde ponunt, dum pars una illorum sat conspicua, in alteram, ampliorem, pertinacius subintrat: *volvulum* dixerunt. Nunc vero pars intestini superior, inferiorem, — nunc haec, illam, pro vagina sibi eligit, ac ibidem absconditur. Atqui frequentius hoc ipsum, vel pluribus adeo intestinorum in locis simul, — quin morbum ideo mox inferat, contingit; ac saepius a morte, quin ullum id symptoma in vita hominis, ex alio longe morbo defuncti, docuisset, detergitur unus alterve *volvulus*.

Quodsi vero sedem suam intestinum per causas morbosas *constantius* in alio intestino defixerit, ibique inflammatum, aliumque in modum ultro quam ut facile reverti queat, intumescat: eadem tunc, quam ab alio quocunque obstaculo, ciborum intestinalem per tubum progressui opposito, symptomata, ac vomitus rebellis, foecalis interdum materiae, quem *Ileum* (§. 240.) abhinc, et *volvulum* (incertae nimis rei synonimo saepius haud satis aequo) dixerunt, sequetur. Si pars major intestini in aliud intraverit, quod adeo de *ileo* intestino per valvulam coli, ad pedis longitudinem, suscepto, observatione compertum habetur; sequitur illam annexum ei mesenterium, mesocolon; nec desunt (rara etsi, ac facile non satis tuta, sed ex *pseudomembrana*, formam intestini ac habitum sumente, explicanda) portionis veri intestini, intus scilicet susceptae, et per gangraenam a parte sana separatae, per alvum excretae exempla.

§. 665. Saepe vero non ipsam ventri-Per com-
culi intestinorumque ad substantiam aut pressio-
nem.

cava, — sed ad viscera vicina partesque contiguas, haeret causa, quae stomachum, intestina, coarctet vomitumque inducat.

A cartil. mucron. Ac primo quidem, *cartilaginis mucronatae*, ensiformis, aut fractae, aut luxatae, ad ventriculum conversio, inflexio huc spectat. Rarior quidem, ac vulgus contendit, vomitus haec causa, — sed et a nobis in sterno *sutoris*, in museo pathologico *Vindobonensi*, conservato, conspecta est. Hanc morbi causam, eodem fere cum successu, imitant virgines, mulieres, quae propria cum thoracibus angustis hypochondria arctius in spatium cogunt, ac ligneis vel ex costa balaenae paratis cum clamydibus, trabeculis, ventriculum, extendi plenus ne possit, stulte coercent.

A fract. stern. costar. Nec minus *sterni*, *costarum fractura* ultimarum huc pertinet, quarum fines asperos et acutos, pulmoni sinistro profunde deorsum infixos, ac sua vel compressione, vel excitato illinc consensu, vomitum lethalem in viro bajulo excitasse, *Ticini* conspeximus.

A tumor. viscer. Alias vero ex liene, hepate, pancreate,

glandulis mesenteriis, mesocoli affectis, et ex illorum tumore, scirrho, steatomate, calculis, compressio ventriculi intestinorumque proficiscitur ac vomitus. Foeminam in clinicum, quod *Ticini* est, Institutum suscepimus. Huic, plures ante annos, tumor ex sinistro hypochondrio surrexerat, per epigastricam regionem, dein per omne abdomen, ad pelvim usque, extensus, durus atque convexus. Quoties vero menstrua instabat excretio: tumor ventris insignem in modum augeri, vomitusque per dies quatuor, vel quinque, copiosus excitari solebant. Ad nos delatam, quin menstrua hoc tempore instarent, continuus, per multas jam dies, vomitus vexaverat. Hujus causam vomitus lienis solius in vitium ponentibus, pauci quidem, — ex eo, quod omne abdomen aequali, nec ullibi circumscripto tumore promineret, vomitusque pridem periodice redire consueverit, consensum nobis ex integro praebuisse videbantur; mors interim promta exhaustae jam foeminae, hanc nimis confirmavit diagnosin; ac vix dissectis abdominis integumentis, *lienem* no-

bis illico, ampli in modum scuti, intestinis ac ventriculo, arctum in spatium compressis, incumbentem, crudae fere carnis molem referentem, et expelvi, ad quam cunei adinstar impactus haesit, non sine labore trahendum, exhibuit, sexdecim librarum ponderi aequalem. Ventriculus pylorusque ab omni labe conspecti sunt immunes.

Alia, quinquaginta jam annorum foemina, optimaque fruens hucusque valetudine, a magno frigore mediam per horam corripitur. Mox ab isto, succedit vomitu biliosae indolis, diebus sequentibus, quin frigus redivisset, non diu a cibo potuque ingestis, revertens. Rejectae per vomitum materiae, ex bile cum cibis assumtis remista, constare videbantur. Alvus obstructa est, aut omni sexta, octava die foeces caprinas, foetidissimas, deponit. In dextro hypochondrio dolorem aegra manifestat. Hoc rerum in statu, septem per dies versatur infelix, et animi moerore quamplurimum oppressa, vidua. Cessavit, vero tunc vomitus, sanitasque, — anorexiam aliquemque in dextro hypochon-

drio dolorem si excipiam, videbatur restituta. Cum vero duodecim post dies, ob lites, vicinos inter parentes exortas, quamplurimum terrefacta fuisset mulier: illico materiam ex bile atque pituita constantem, ad pondus duarum fere librarum, ter vomuit. Cessante vomitu, accessit sudor viscidus, subfrigidus ad faciem et jugulum ab eo tempore, vomitus, quoties aut ederet, aut biberet, reversus est. Ad nosocomium nunc delata, exhibuit pulsum frequentem, subdurum, intermittentem, faciem quidquam rubram, capitis aliquem dolorem, os amarum, et linguam muco flavo obductam. Insignis aegram dolor in dextro hypochondrio divexat: quo in loco, magna, et ad tres circiter pollices ultra costarum spuriarum limbum extensa durities distinguitur. Abdomen quidquam tensum; alvus a sex jam diebus clausa, urina parca, rubra, doloris cum sensu excreta. Facilius in dorsum, quam in latera decumbit aegra, tristis et anxia. Eadem alteram in diem continuat symptomata. Die vero sequente, res vomitu ejectae acidum spirabant odorem. Sic dies

circiter quinque in nosocomio transegerat, cum, sub aucto hypochondrii dolore ac alvo obstructa, sub vomitu urgente exspiraret. Sub cadaveris sectione comparuit ventriculus magnopere extensus, ac tam amplus, ut vix duobus ab osse pubis pollicibus distaret. Ex aperto ventriculo fluxerunt sex fere librae aquae nigricantis multumque aeriformis materiae explosum fuit, utriusque foetentis. Ascarides lumbricoides quinque, eosque mortuos, continuit ventriculus. Pylorus naturali quidem praeditus conditione; ast multa ibi erat coarctatio partiumque compressio. Hepar exterius molle ac sanum; cystis fellea bile fere vacua. Una nunc sectione uterque hepatis lobus dividebatur. Sub illa vero, culter in corpus durum impegit, et per vulnus hoc inductum, *calculus*, quem *ticinensi* museo pathologico commisimus, exivit, figurae triangularis, ex albo flavescens, levissimus, et ignem facile concipiens. In tumore hic calculus haeserat cystico, materia simul *sebacea* repleto, partem pylori externam inter et magnam hepatis scissuram, qua uterque jecinoris

lobus dividitur, haerente. Tumor hic, in cujus medio sedebat calculus, ovi gallinacei superabat magnitudinem, et exiguos hinc inde conceperat abscessus. Omentum parvum, inflammatione correptum. Tenuium intestinorum superficies aliqua a phlogosi obsessa. Intestina crassa, multum contracta, foeces in globulos compactas continebant. Colon transversum, a pondere aquarum in ventriculo haerentium, umbilicalem ad regionem depressum. Levis ad urethrae orificium externum inflammatio. Frequentius certe, sub tantis sectionibus, ad lobulum *Spigelii*, quam alibi ad hepar, steatomata sat insignia et abscessus impuros deteximus; qui tumores, cum ventriculi curvatura minore, vel cum pylori viciniis concreti, non possunt quin cavum stomachi coarctent, ac saepius ad vomitus, — interdum, subministrata ipso ex hepate materia, purulentos, hoc viscus impellebant. Ipso in foetu, tam ob ventriculi figuram subrotundam, quam ob majorem, hac sub hominis aetate, hepatis lobum sinistrum, ventriculo late superimpositum, tam frequens et facilis est vomitus.

Nec ut tam contiguus sit ventriculo tumor comprimens vomitumque inducens, requiritur; sed ipso adeo thoracis in cavo, quod de costarum sternique fractura jam supra innuimus, interdum causa, quae ventriculum, diaphragma uno in puncto inferiora versus urgendo, compressit, est visa, *cordis* eo in loco, quo septo intermedio incumbit, in osseam substantiam conversi exemplo; quod stomachum in vomitus rapuisse, vir clarus conspexit. In *phthisi* ex ulceribus pulmonum, frequenter, sub fine morbi lethalis, vomitus, — quos quidem visceris consensus utriusque bene explicat, contingunt; quodsi vero *tubercula*, pulmonum lobos inferiores diaphragmati concretos dura satisque elevata occupaverint: non est, cur ex consensu magis, quam ex mechanica ventriculi compressione, irritatione, hos vomitus derivemus. Vir medicae in artis incrementum natus, sed fato huic et nobis iniquo, Vindobonae, non multos ante annos, in flore aetatis, crudeli ereptus, a tabe, feroci a tusse jam unum per lustrum, — ultimosque vitae per menses pertinaci, ac

Ab aneurysmate.

A tubere. pulm.

vix non in dies redeunte a vomitu simul vexatus, proprii ventriculi aut pylori de scirrho, vel callo, steatomate, vix dubium alebat; interim nec minimum hoc in viscere vitium, — pulmones vero *tuberculis*, pro parte suppuratis, undique obsessos. deteximus. Pulmonum hinc ad lobos inferiores tubercula, scirrhus, inflammatio conspicua, cordis aneurysmata majora, — abscessus, steatomata mediastino reclusa, humores serosi, purulenti, sanguinei, thoracis in cavo magna copia collecti, ad causas vomitus, quam compressio inducit, chronici, non raro pertinebunt. Quam insignem *herniae* diversae, compressis, strangulatis, quae loco suo egressa sunt, intestinis, vomitum inducant, cuivis ex chirurgicis est notum; nec minor compressionis in intestinum per vulnus abdominis prolapsum est actio.

Sed et *pancreatis* non raro vitium, ut causam chronici vomitus manifestam sese prodidit. Est quidem, ubi conspicuum haec pars in scirrhum mutata, vomitum tamen nequaquam induxerit; sed aliorum tam felix non erit aegrorum conditio. Nunc

A pancreat. scirrh.

enim scirrhosi tumor pancreatis, ipsum; aut duritie, aut asperitate sua, ventriculum irritabit; aut suam per molem, ne satis dilatari hic saccus queat, impediet; nunc vero duodenum, eundem in modum lacesset premetque intestinum; nunc humor salivali hoc abdominis in fonte corrupto secretus, acrimonia peccabit, nunc sua forsitan inertia, paucitate, quod suscepta in canibus docuit excisio pancreatis, ne chymus huc ellidens sat cito diluatur, subigatur, aut ne bilis cysticae, a pleno ventriculo expressae, corrigatur acredo, inhibebit; nunc, inducta per pancreatis tumorem insignem venae splenicae vicinae compressione sanguis circa ventriculum collectus, adempta hujus partis sensibilitate, eundem ad vomitum, interdum cruentum (§. 612.) urgebit.

a mesent. tum. Steatoma, tumor de inflammatione participans, purulentus, cysticus, scrophulosus, scirrhosus, carcinoma glandularum mesenterii, aut hydrops ejusdem, nec non partis cujuscunque contiguae vitia similia, huc pertinent: ut a quibus, compresso intestini aut tenuis aut crassi canali, per-

tinax non raro, ac periodicus fere, vomitus inducitur, ac descripta jam partim alibi (§§. 217. 220.) oriuntur symptomata.

Prout vero vicinius a cardia, ventriculi (angustioris illinc magisque contracti) vel callus, vel tumor scirrhosus, vel aliud obstaculum delitescit; eo citius a pastu; — nunc tribus, nunc septem, nunc pluribus ab eo horis, continuo augentur angustiae, nec non diversa materiae per vomitum rejectae est facies. Saepius nempe, sed certe non ubique, — nec pylori solius, sed et pancreatis sub scirrho, carcinomate, vel ulcere impuro, *fusci*, obscuri haec coloris est, et foetet; tractu temporis, sub ingenti ructuum copia, nec raro sub continuo singultu, — vel, si profundius intestinorum in tubo obstaculum haeserit, sub continuis borborygmis, ventris sonora sub intumescentia, non raro inaequali, alvoque pertinaciter in plurimis obstructa, acidissima expellitur. Si quando vomitus consuetum ad tempus non redeat: sub majore tunc molestia plerumque, sub stomachi inflatione manifesta, sub ardore, dolore ventriculi adauctis;

majorem simul ad copiam paulo tardius revertitur. Mirum est, quod, quae tam *lente* in plurimis nascuntur circa pylorum, aut stomachum, vel ad ipsa intestina obstacula, tumores, steatomata, vel scirrhi, saepius per annos sine turbis praemagnis, si ructus, flatus; oppressionem ventriculi, deletumque per tempus ciborum desiderium, excipias, delitescant: donec, accedente imprimis terrore, aut animi moestitia, aut ira gravioribus, — aut emetico vel drastico remedio, ob fallacem signorum gastricorum cohortem, porrecto, aut novas ob crapulas, — non facile sine sensu horroris, caloris levioris, ingesta per vomitum reddantur, commista bili, pituitae, alimenta pótusque. Ab hoc fere tempore, concessis interdum dierum, hebdomadum quarundam induciis, praeviis copiosis exspuitionibus, vomitus redit alter iterumque redit; oppressio ventriculi augetur; nec rarum est videri tunc aegroto, aliud in latus converso, pondus aliquod hoc idem in latus altiore e loco revolvi ac descendere: quem duri corporis motum interdum vel ipsos medici, per digitos li-

cebit distingui. Sunt, quibus dolor et tensio epigastrii, hypochondrii, converso in anteriora, trunco, moderentur; alios, alia, brevi tamen solatio, sublevabit corporis positio. Adolescente jam morbo, sub macie corporis extrema, sub pulsu nunc frequente, nunc satis naturali, etsi longe debiliore aquarum colluvies in ventris cavo subnascitur, fluctuatio manifesta percipitur. Frequentior nunc, et absoluto, quem amplius vix appetunt, a pastu, ingruit mox vomitus; debilitas, moestitia, pallor faciei augentur, lypothymiae hinc inde accedunt, dolores circa stomachum, hypochondria, vel ipsum ad ventrem, sub magna istius tensione, ardentes insurgunt; singultus sub auctis doloribus frequentior fit; ac tandem sub vomitu enormi, vel sub maximo ad istum conatu, tantorum pertaesa malorum efflatur anima.

§. 666. Sed quemadmodum ipsis sub mali horrendi primordiis, haud raro ejusdem natura non agnoscitur; ita varia, quae morbum exasperant, spirituosorum, emeticorum, purgantium e classe, porri-

V. ab atonia extens. ventric.

guntur, remedia. Sic et vomitu jam certas a pastu post horas redeunte, non minus incerta saepe morbi formatur diagnosis. Tumoris scilicet duri tensique circa regionem epigastrii in vita praesentis, ab attactu dolentis, — sed a morte, praeter distensum ab aere ventriculum nil reperti, loquuntur exempla. Ipse nempe ventriculus, vel ob pylori angustiam, vel proprie ratione inertiae, *atoniae*, ad immensam haud raro amplitudinem, ac in utrem, ipsi fere ventris cavo aequalem, distenditur, vaporum flatuumque a copia repletur, varios in sensus distrahitur, ad umbilici, pelvisque adeo in regionem descendit, et alterius longe visceris scenam ludere consuevit. Vel ipsam post mortem, ventriculum peramplum, oesophago per filum prius circumdato, tam arcte per tumorem ad pylorum residentem occlusum deteximus: ut aer copiosus, qui tantam hoc viscus in molem repleverat, nec sponte exire, nec exprimi per artem potuerit. Sed et pyloro nequaquam scirrhoso, calloso, etsi debili laxove ventriculo ad sui contractionem violentam haud tanta esse

videatur potenta: sequitur tamen ac multoties revertitur vomitus a cibi corrupti, ac visceris extensi a stimulo, ut videtur, diaphragmati musculisque abdominis illato et debilioris vim stomachi supplente. Exemplum quidem viri exstat, qui, ob summam ventriculi capacitatem in cadavere ejusdem repertam, cum viveret, a fortioribus etiam emeticis assumtis, vomere non potuit; sed non semper cum stomachi extensione vel maxima, vomendi potestate hoc viscus spoliari, exemplo foeminae, a nobis supra (§. 665.) allato, confirmavimus, et altero, mox infra adducendo, ostendemus.

Ambigua satis ac difficilis est causae, quae hunc vomitum inducat, indagatio. Facilius quidem, egregio non ita pridem monente Viro, quam si callus, aut scirrhus latuerit, hic vomitus — ac uno quasi cum impetu absolvitur; nec doloris aut ponderis sensus regionem epigastricam circumdat; ructus flatusque foetidi frequenter, quin vomitus sequatur, vel et antequam hic succedat, prorumpunt; sensus plenitudinis, repletionis in stomacho, eva-

cuari conantis, percipitur; tumescit, subrotundus in medio mollisque venter, compressaque regione umbillico publique intermedia, aut ructus, aut contenti pars liquidi per oesophagum assurgit; senescentes jam, voraces bibulosque magis homines, quos, pallido sub vultu, debilis jam priem ciborum vexaverat subactio; qui majores in istis potuque stimulos, ut famis, quam saepe manifestant, sensum sibi excitent, sollicite quaerunt, hoc malum divexat: ut qui ferculis copiose, ac plures interdum ante dies ingestis, ad stomachum torquentur, et copiosos eosque liquidos, serosos, vix tamen foetidos, interdum acidos, patiuntur vomitus, qui fuscum haud facile, sed cinereum vasis ad parietes sedimentum deponant.

Est sane aliqua his signis, sed vix tanta, quae errorem excludat, auctoritas. Ipse nempe Ventriculus tantam in amplitudinem extensus, ut simul profundius in abdomen descendat, oportet. Hoc vero sub statu, distracto nimis in longum oesophago, angustior hic redditur, nec surgentem ex imo quasi ventre crambem tam

facile regurgitat. Quodsi tamen vorace bibuloque in homine, debili jam pridem subactionis ciborum sub opere, sub alvo largas pluresque post epulas per dies clausa, sub abdomine ex imo subrotundum in utrem turgente, sub minore epigastricae regionis tensione, angustia, dispnoea, — sub flatuum ex medio quasi abdomine ad oesophagum adscendentium sensu, vomitus longiore a pastu mora sequatur abundans, ventrisque tumor imi sub illo dispareat; — aut si compresso a manu, jam nimis repleto, abdomine, et flatus et contentorum pars liquidior facilius per oesophagum repullulent; licebit, tunc, — etsi stomachum utroque vitio, nimia scilicet amplitudine et callo simul posse laborare, nemo, tunc satis certus, negaverit; de inerte ac extenso nimis ventriculo, ut causa vomitus praecipua, cogitare. Frequentem, etsi vix periodicum, vomitum vir excelsa sede natus, gulae vitiis nimis deditus, a longo jam tempore patiebatur. Ructus hic praeterea tam male olentes, ut plurium atmosphaeram cubiculorum, latrinae instar, inquinarent, ex-

plodere consuevit. Circa pylorum, *scirrhum*, — sed, ob dictum foetorem, et *ulcus* latere, suspicio nobis, ad consilium vocatis, nascebatur. Post mortem, ille quidem detectus, sed ulcus repertum non fuit. Ventriculus vero non modo ad ossa pubis usque extensus, sed prope cardiam quoque in alium quasi saccum, in quo cibi, huc delati, in propriam corruptionem abire, doloresque excitare, ac foetorem illum infestum, per ructus, spargere solebant, dilatatus repertus est.

V. a sensibilitate morbosa.

Atqui nec major quidem languidioris extensio ventriculi requiritur, ut vomitum hic plures in annos frequentissimum, ac demum aegroto funestum, rebellis exerceat. *Vindobonensem* ad virum triginta quatuor annorum vocati sumus. Hic aliquot a mensibus, sub macie continuo adaucta, ac sub febris, quam *hecticam* adpellant, symptomatis, singula quae ingerit, post horas aliquot a pastu, nunc ad noctem, matutinum nunc ad tempus ventriculo expellit. Vigesies tandem et ultra vomitus, vel unica in die, et vix assumptis vel cibo, vel potu, illico, vel et spon-

te, exoritur. Atqui nec tumor epigastrii, nec tensio detegitur; sed multis abhinc annis vertigine et capitis dolore laborare, dein ad horas matutinas non ad alias, ingesta vix quidquam mutata, vel chymi sub specie, evomere solebat. Venam homini, et tandem a morbo, et a veneris, quibus nimium indulsit, illecebris debilissimo, frequentissime adperiunt, hirudines ad aures, et quod fluxum haemorrhoidum interdum sit passus, ad anum, ponunt. Augetur debilitas, frequentior sit vomitus: sub quo, bilem viridissimam expelli videntes, alvum ducentia quamplurima praescribunt, ac aegrotum, in statum de quo diximus, conjiciunt. Sub tantis aerumnis decoctum ex chinae cortice cum aqua cinnamomi et tinctura anodina praescribimus incassum. Vir clarus et expertus, simul in consilium vocatur; sed mortem in vicinia esse, ex continuo singulto, ex animi deliquio, et ex pulsuum conditione, ambo intelligimus. Eadem vero secuta, cum vitium, ut vocant, organicum circa stomachum, aut pylorum, sollicite quaesiverimus; nec istud quidem, nec aliud, si totum vasorum sy-

stema sanguine quasi omni orbatum excipitis; — nec ventriculum mole auctum, aut nimis dilatatum, deteximus. An calvariae in cavo, quod, ob temporis penuriam adpertum non fuit, vertiginis praegressae, doloris in capite tantorumque latuit origo malorum? ... ex eo certe, quod alia, quae tale quid docerent, symptomata tot per annos non occurrerint, id minime videtur. Ipsa nempe corporis, vasorum *inanitio* ad vomitum contribuit; vidimusque non paucos, qui sub venae sectione largiore, — foeminas, quae sub uteri profluvio cruento copiose vomebant. Sub fame diuturna, et nausea, et vomitus succedunt; ac frequens hystericis, hypochondriacis hominibus, ex sola debilitate ac ventriculi sensu nimis intenso, vomendi est occasio. Sola rerum ingratarum recordatio, pilus optato in ferculo repertus, stomachum movent, ac in sensibilioribus vomitum illico excitant. Homini diutius obscuro in loco detento, solus lucis vividioris adspectus vomitum jam movet. Notus est nimis, effrenis ex itinere maritimo, seu vectione in nave, oriundus vomitus etc.

Et chronici vomitus species adhuc alia, quae ad illam, de qua loquimur, *sensibilitatis* nempe in ventriculo nimis *intensae*, plerumque revocanda, ac, etsi *symptomatica*, hic tamen, ob magnas, quas in artis exercitio subministrat, errandi occasiones, nequaquam reticenda est. Oritur haec in sexu maxime sequiore, cui menstrua, vel gravidum ob uterum, vel ob causas morbosas, — vel demum solitae haemorrhoides, — nec non in viris, quibus consueta haec cruoris ex ano profluvia vel plurimum imminuta, vel protinus suppressa sunt, plerumque aut histericis, aut hypochondriasi adfectis in hominibus. Hac sub rerum conditione, ut alibi jam diximus, non raro sanguis, ventriculi viscerumque abdominis debiliorum, vicinorum, in vasis diductis, aneurysmaticis, varicosis colligitur, ac *vomitum cruentum*, — quo interim saepe res non pervenit sub diris ad praecordia doloribus, angustiis, sub ventriculi oppressione, lipothymiae sub sensu, sub nausea, vel sub vomitu, imprimis quo tempore pristina prodire debuissent profluvia, adaucto, ex-

V. a suppresso profluv.

spectat. Etsi vero debiles et languidos haec sanguinis circa stomachum collectio in vomitum praecipitet; est tamen, ubi vires non infractae sint, et ex suppresso profluvio naturali, vel solito, abdominalis species plethorae robusti vegestisque in hominibus, in causa sit vomitus, ac talem, acutum scilicet, vel in vera pulmonum inflammatione, sicut ipsam diarrhoeam, subinde contingere, jam alibi (§. 186.), monuimus.

V. ab ulcere, etc. ventr.

Evidentior vero sensibilitatis morbosae in ventriculo est actio in illis, qui *cholera* (§. 672.) laborant; qui saburrali quidem ex causa vomuerunt, sed, jam omni rejecta, in vomitu effreni continuant; in illis, quibus apthae, oris, oesophagi, ventriculi ad cavum praegressae, ac nuda superficie istius separatae, aut *ulcus*, vel praevia inflammatione, suppuratione relictum (§. 236.), vel aliis ex causis in ipso ventriculo lento passu inductum, impurum, herpeticum scrophulosum, carcinomaticum, vel ab haepate, liene, pancreate suppuratis, vicino cum ventriculo concretis, ac eodem, ut vidimus, eroso,

in ejus cavum depletis, — vomitus a re quavis, vel blandissima assumta, sub diris in epigastrio ardoribus, doloribus, copiosos, nunc parum aut nihil, nunc satis aperte purulentos; ichorosos, foetidosque producunt.

Nec minus huc spectat vomitus, anti-quo ab ulcere promptius sanato, a *podagra*, ut se exprimunt, ad stomachum regressa, retropulsa, oriundus. Quamvis enim hoc mali genus, nunc acute incedens, nunc chronicum, ex alio, ut quondam docebimus, quam *materiae peccantis* ad ventriculum depositae effectu, explicari bene queat; ac etsi alterius id *symptoma* morbi dicendum sit; suum tamen hoc in tractatu de vomitu rebelli locum omnino meretur. Oritur nempe hic vomitus in illis, qui arthritidi, ut vocant, fixae, seu *podagrae* subjecti sunt, si modela huic perversa opponatur; vel si, corporis effoeti languore, consueti ad pedes dolores prorumpere recusent. Hoc scilicet ex fonte, vel iisdem potius ex causis, quae podagram inducunt, non raro viscera abdominis mali sedem largiuntur; ciborum illi-

V. a Podraga.

co prosternitur desiderium ; accedunt oppressio ventriculi, tensio, tumor doloroque regionis epigastricae, nausea his jungitur ac vomitus tam atrox : ut veneni suscepti nonnunquam oriatur suspicio, aut dira ventriculum, intestina, videatur occupare inflammatio. Alias, sine tanta symptomatum atrocia, nausea, vomitus, dolorque ventriculi, aut longum per tempus, aut certos per reditus, aegrotum, a podagra interea immunem, repellis divexat. Si forte solitus ad pedes, aut manus, dolor compareat: evanescunt stomachi prius adfecti symptomata. Virum, a multis retro annis frequenter a podagra affectum *Ticini* conspeximus. Huic diu podagra pepercerat; sed intumuit, sub cordis palpitatione pulsumque intermissione fere continuis, abdomen, ac insignis tunc viscerum singulorum infarctus subintrasse videbatur. Resolventia, sic dicta, remedia incassum jam diu ingesserat ; rediit tandem consuetus ad pedes dolor, ac abdomen in integrum detumuit. Foemina *Mediolanensis*, vomitum, a quinque jam annis, non quidem continuum, sed omni

fere mense ter quaterve redeuntem, atrocem, experta est. Cum nullum hucusque a medicis auxiliis levamen malorum habuisset aegrota, *Ticinum* adivit. Etsi vero in sexu foemineo, podagra, quam in alio, sit rarior; cum tamen a patre hoc morbo crudeliter vexato originem haec mulier traxisset, et frequentes antehac in artubus dolores, quasi arthriticos, conquesta esset: qui dolores eo, quo vomitus accessit, a tempore siluerant in integrum; aconiti extractum huic foeminae largiores ad doses, ac parata ex sinapis farina pediluvia, nec non quavis octava die rubefaciens ex cantharidum emplastro remedium ad pedes praescripsimus. Post mensis fere spatium, accessit vehemens *podagrae* insultus: a quo, vomitus in integrum disparuit.

V. a scorbuto.

Similia vero scorbutus hinc inde vobis offeret ventriculi affecti, fallacia, symptomata; nec de istis hic sermo foret, nisi propri hac in re, plures ante annos, commissi erroris eundem nobis imponeret, profutura vobis ipsis, memoria. Cum *scorbuti* signis Clinicum Institutum *Ticinense*

petierat foemina. Accessit scorbuto febris epidemica, pro gastrico-nervosa tunc habita. A primo febris insultu, magnum in regione ventriculi pondus, ructus foetidissimi, oris summa amarities, ac demum vomitus biliosus, amarissimus, quo vermes simul plurimos et ore et ano ejecit, comparent; anxietas est magna, ac fauces a glomere ex stomacho per oesophagum ascendente constringi spiritusque elidi videntur. Solventibus praemissis remediis, lene, quod nullus ab assumtis dolor esset ventriculi, ex ipecacuanhae radice, praescribimus emeticum. Gastrica abhinc increscunt symptomata, ex sinistro in oculo *ecchymosis* sat larga comparet. Repetiimus diebus sequentibus, iterumque concessimus emeticum; sed morbus, etsi opium compescendos demum ad vomitus in auxilium vocaretur, continuo augetur, ac die duodecima terminatur in mortem. Aperto cadavere, sugillatio comparuit ad internam ventriculi superficiem amplissima, sublivida: ecchymosi ad oculum haerenti simillima. Pancreas a scirrho corruptum, thoracis, pericardii cava, ab

aquis partim repleta sistebantur. Nullum tunc nobis dubium esse potuit, hunc vomitum lethalem, non ex gastrica saburra, sed ex morbo principali, qui *scorbutus* erat, et ex suggillati sensibilitate morbosa ventriculi, ab emeticis certe non parum adaucta, originem traxisse.

Vomitus gravidarum, etsi per consensum frequentius, quam primaria ventriculi e culpa oriatur; istum fere magis, quam alium ad locum, revocandus est. Is nempe in quibusdam mulieribus vix primis ab impraegnatione diebus aut hebdomadis, — in multis paulo tardius, — in plurimis a profluxus menstrui cessatione, — mitis, nec frequens, nec multus in istis, — in aliis uberior ac vix non continuus, medium fere praegnationis ad terminum, interdum vero ipsum adeo ad partum, — nunc stomacho jejuno, nunc a cibis, nisi uno alterove, ex regno fere vegetabili, non facile animali, excepto, fere singulis, — serosus, mucosus, acidus in istis, in aliis amarus, in quibusdam adeo cruentus exoritur. Sunt aliquae inprimis corporis structurae minus extensae, aut foetum in

V. a graviditate.

utero majorem, aut gemellos; aut copiosum saltem amnii liquorem ferentes, quae in ultimis potius, quam primis praegnationis in mensibus, maxime si cibis quidquam copiosis indulgeant, nauseam patiantur ac vomitum: quae symptomata vel usque ad partum, vel donec uterus ante istum, ut solet, subsederit, continuant. Communior illis est hic vomitus, quae largioribus antehac subjectae fuerunt menstruis; ac languidiores urbium apud foeminas frequentior, quam in rusticis; robustae interim hinc inde non minus, quam debiles, cum conceperint, cibos per oesophagum rejiciunt. A vomitu peracto, pleraeque sublevatas se sentiunt; nec facile aut praegnans, aut foetus, abhinc salutis detrimentum patiuntur; ast si frequentior, violentior, a quovis fere cibo, pluresque per menses is redeat; debilitas ventriculi et languor totius, vomitus cruentus, vel haemoptysis, herniae, uteri descensus, prolapsus vaginae, abortus, timenda sunt.

V. Parturient. Sed nec ipso *sub partu* immunis est foemina: quem scilicet non raro ultimis sub

nixibus, tum ex uteri, summopere ab istis vexati, cum ventriculo consensu, tum ex abdominalium musculorum, et diaphragmatis contractione violenta, experitur, — partui, ut putant, profuturum; sed pro potentioris potius ad foetum protrudendum actionis effectu habendum.

§. 667. Multa hic foret *consensuali* de vomitu ulterius disserendi occasio, nisi talem, ut aliorum symptoma morborum, alibi descriptum leviore nunc calmo tetigisse, quod partim hucusque evitare non potuimus, sufficeret. Sic a sola jam faucium, pharyngis, per plumulam, aut immissum his per digitum, irritatione, ventriculus convellitur et contenta expellit; a dentitione in pueris, sicuti diarrhoea, ita non infrequens est vomitus. Ex admoto cruribus, herpetico ab ulcere adfectis, decocto cum croco metallorum remisto; vel et herbae nicotianae tabaci pulvere insperso, vomitus secutus est. Sub capitis dolore violento, hemicrania, vertigine, sub cranii laesionibus, carie, excrescentiis, sub gravi adeo ac lethali apoplexia;

V. Consensual.

ac in medullae spinalis adfectibus quibusdam, ut *cyphosis* in specie, sub colicis doloribus, vel sub illis, quos calculus, aut felleus, aut renalis, urethericus, vesicalis, aut panaritium, aut luxatio, aut hernia, inducunt, stomachus contenta facillime regurgitat. A quovis contagio, quocumque demum modo corpori ingesto, admoto, stomachus facillime movetur, nec potentius certe contagiis plerisque, saltem febrillibus, est *emeticum*.

V. intermittens. §. 668. Nec minoris dignitatis argumentum habetur de vomitu ex aucta corporis ac imprimis ventriculi, sensibilitate, debilitate oriundo, in *febre intermittente emetica* (§. 35.) in qua scilicet vomitus effrenis, periodicus, praecipuum febris constituit symptoma, ab opii fere citius, quam ab ipsius corticis peruviani virtute, cum ipsa febre fugandum.

Causae. §. 669. His vomitus praecipuis speciebus hic expositis (§§. 663. 668.), causarum hujus morbi mentionem jam satis injecimus; ac ea, quae vomitum ex partium *consensu* vel et *symptomaticum* inducunt, tum sub febrium; inflammationum, exanthematum

descriptione jam adduximus; tum in aliorum expositione morborum suo loco referemus, *Idiopathici* causa *vomitus* in stimulo graviore, nimiam ventriculi, ad pylorum tunc clausi, contractionem excitante consistit: vivorum nempe sectiones animalium docuerunt, a stimulo tali admoto, vel ab ipso duodeno motum ventriculi contractilem oriri; sequi pylori constrictionem, inde medii illam ventriculi; demum supremi: donec ad ipsam gulam bolus progrediatur, et a ventriculo sese contraente, inque rugas plicato, sursum per os expellatur. Alias principium contractionis est in pyloro, vel medio etiam in stomacho: unde motus peristalticus versus oesophagum per omnem ventriculum retroagitur, usquedum materia ventriculo contenta per gulam erumpat. Quae igitur moderato cum stimulo ventriculum sollicitant, ad inferiora haec ejusdem contenta placide propellunt; quae fortius in stomachum agunt, eundem mox contrahunt leviterque convellunt, et nauseas proliciunt; quae vero fortius adhuc ventriculum exstimulant; ea hunc ipsum convellunt, et, pyloro simul contracto,

cibos per cardiam et oesophagum expellunt: sic ut igitur vomitus sit vera, clausi primum ad pylorum, — ad cardiam satis adhuc cedentis, *ventriculi* superiora versus *convulsio*. Hanc vero et ipsius diaphragmatis, et musculorum abdominalium contractio violenta coadjuvet oportet. Nam etsi et istis, aut quiescentibus, aut adeo dissectis, aut subtracto penitus eorum imperio exemptoque ventriculo, vomitus tamen excitari non minus posse, eximiis a Viris sit dictum; recentiora tamen hac super re instituta experimenta videntur utique docere; stomachum, etsi maximis a stimulis vexatum, non posse tamen, sine diaphragmatis, musculorumque abdominalium subsidio, sese satis contrahere; nec sine stomachi actione posse solos hos musculos vomitum absolvere, ac potentiae istum utriusque constantem esse effectum. Non oportet tamen nuperrimam viri eximii objectionem hic reticeri: qua, vomitum *sub ipsa expiratione* fieri, — diaphragma vero non sub ista, sed *sub inspiratione* contrahi, — et hinc vomitum *sub maxima diaphragmatis relaxa-*

tione fieri monuit. Sed forsitan, priusquam stomachus contentas materias rejiciat vim ille diaphragmatis, ad inferiora sibi per vices impellentis, jam satis expertus est, ut et propria, et musculorum abdominalium contractione, ultimam vomitionis scenam absolvere possit; vel agitatus adeo et convulsus hoc sub opere, cum oesophago ventriculus, *sub expiratione*, altiora versus sequitur diaphragma; inter cujus et musculorum abdominalium praelum excutiatur potentius. Foeminam *Vindobonae* publice in clinico Instituto examinavimus, cui *hernia ventriculi* enata, hac ipsa vero, plures ante annos, incarcerata, ventriculus inflammatus, atque hoc in sacco, quo interea concreverat, suppuratus, et largo hiatu ad regionem epigastricam apertus fuit. Si quos haec mulier cibos molliores assumisset: mox hi ventriculo nisi ulcere callose obtecto, per istud effluebant; quin ipsa sibi aegra, proprii cum digitis, cibos, quos nimios ingessisset, fermentatam ut brassicam, extrahere potuerat. *Lac dulce* coram nobis ac nostris Auditoribus numerosis, haustum

illico, *sed jamjam coactum*, amplo ex ulcere effudit. Huic igitur ulceri, primo digitum, mox etiam alterum, timide immisi: sed cum nullum aegra exinde dolorem accusaret, animose ad magnam ventriculi superficiem internam, circumduxi, ac villosa ejusdem super tunica huc illuc movi. Interroganti, num, hoc digitorum ex motu, vel nauseam, vel vomendi conatum persentiret? negavit. Quae ulterius, tantum circa morbum (cum quo per quinque adhuc annos, ex intestinorum tandem inflammatione peritura, vixit) experimenta, physiologis etiam notatu dignissima, sint capta, ea Auditorum unus concione exposuit. Sed et hoc nobis, — quod dicta, sat fortis, contrectatio vomitum nequaquam moverit, admirationem expressit.

Non semper totius tubi alimentarii motum inversum sub vomitu requiri, etsi alvus sub isto plerumque sit obstructa, *cholera* docet: sub qua, dum superiora versus convellitur ventriculus, intestinorum certe auctus est motus *peristalticus*; sed est, ubi pars major intestinorum ad vo-

mitum contribuat, ac imo adeo ex colo aut recto intestino, vel ob dictas jam (§. 664.) rationes, cedente, aut rupta, illus valvula contenta; futuros in vomitus, regerantur in ventriculum.

Quaecunquae igitur aut stimulum ipsi ventriculo majorem, quam par est, aut specifice odiosum, inferre, illumque convellere queunt; aut quae stomachum, ne satis dilatari aut in duodenum evacuari possit, impediunt: idiopathici ea pro causa vomitus haberi omnino merentur. Huc igitur, ut potiora uno hic sistantur intuitu, spectant: *quantitas* ciborum, potulentorum aequo major, seu nimia (nec tamen, ut quae vomitum intercepit, summa) repletio aut crapula; *qualitas* ingestorum, vel parum a dentibus concisorum, contritorum, aut difficulter, aut nullatenus a stomacho, succis gastricis, cogendorum pyloroque expellendorum, aut corruptorum, acidorum, putridorum, aut idiosyncrasiam, ut vocant, contrariorum, aut suspectam ob indolem noxiorum, venenorum, emeticorum, drasticorum, aut acris, biliosae, corruptae materiae, ver-

mium, ex hepate, intestinis, in ventriculum ascendentium; — sensibilitas ventriculi morbosa, vel ob phlogosin, vel ob ulcus, carcinoma, vel ob aphthas, vel suorum vasorum repletionem, infarctum, extensionem ob acre, hoc viscus vellicans, ob spasmos; — debilitas, imbecillitas, atonia ejusdem, sub qua cibi, vim vitalem hujus organi non satis experti, spontaneam rapiuntur in corruptionem, et antequam per pylorum descendant, ventriculum ad vomitum compellunt; coarctatio ventriculi, pylori, intestini, a callo, scirrho, steatomate, polypo, tumore cystico, calculis, volvulo, vermibus, foecibus induratis, aut re quavis alia, haec viscera comprimente, angustante, infarciente.

Prognos. §. 670. Vomitus symptomatici, consensualis momenta jam alibi proposuimus, et quae de eo dicenda supersunt, suo quaevis loco a nobis tradentur. Idiopathici vero, chronicique imprimis, vomitus pericula, specierum (§§. 661. 663. 668.) et causarum (§. 669.), quae has ipsas excitaverint, ex indole judicanda sunt.

Alia vero in genere ex vomitu discrimina descendunt ab *impetu*, quem ille ipse visceribus, cavis cranii, thoracis, abdominis, contentis — partibus aliis, vasorumque imprimis systemati infert; unde varii effectus apoplexia, amaurosis; bronchocele; cynanche, raucedo, vitia pulmonum ocsophagi, herniae, prolapsus, abortus, suggillatio, vasorum nimia extensio, aneurysma, varix, haemorrhagiae internae, externae, variaque in motu sanguinis impedimenta, nascuntur. Quam profusi viscidique sudores, sub vomitu, ex cute emanent, quam valida totius systematis concussio succedat, est notum: quae singula, vomitus effectus interdum proficuos, saepius vero pessimos, luculenter ostendunt.

Eo ipso vero, quod fluidorum corporis pars certe non exigua, et futurae nutritionis principia, sub maxima totius agitatione convulso ejiciantur e ventriculo; nisi causa simul vomitus cum istis expulsa, aut angusta ex sede, calculorum exemplo, in ampliorem detrusa, aut laxato, quod prolapsum intestinum strangulabat, vinculo, *vomitus debilitat*, ac in

morbis quidem a nimio systematis vigore oriundis subinde fit proficuus; in illis vero, qui suam ex virium jactura nanciscuntur originem, pericula vel maxime adauget. Quo citius vero, et quo saepius mox a pastu hominem adoritur, — eo magis omni hunc nutritionis adminiculo defraudat. Sed quocunque demum ordine ac tempore incedat vomitus diuturnus, copiosus; motum hic intestinorum peristalticum infrangit, alvum obstruit, atrophiam, tabem, hydropem, singultum ominosum, convulsiones, syncopen mortemque inducit. Quo minus causam vomitus aut auferri, aut corrigi licebit; eo certius haec singula sibi tandem succedent: et hinc ille, qui ex vitio, ut vocant, locali, ex collositate, scirrho ventriculi, aut partis vicinae pendet vomitus, medelae raro, si unquam, est particeps.

Ad materiae per vomitum expulsae aspectum et indolem quod spectat, fallaces haud raro exinde tum causae latentis suspicio, tum prognosis deducuntur. De vomitus cruenti periculis jam satis locuti (§. 615.), id solum hic iterum mone-

mus: nigerrima rejici ab iis quoque, in quibus nullus in ventriculo, aud ad pylorum tumor est, ut minime necessarium sit illiusmodi colores aut ab isto, aut a scirrho, aut ab ulcere harum partium derivari. Foetidissimae, foeculentae materiae in *ileo* rejectio, plerumque tristissima; ac si dolor abdominis sub ista cessaverit, ubique lethalis est.

§. 671. Curandi vomitus praecepta, causarum suggerit cognitio. Sunt vero, quae omni demum sub vomitu valebunt, generales cautelae. Quicunque vomitus hominem jam pridem *hernia* laborantem corripiat, opportet loco, quo exitum intestina moliuntur, per sustentaculum mature prospici; et cum toties ab hernia, prolapsu, nascantur vomitus: sub nullo certe ex istis, etsi alia subesse causa queat, haec mali forsitan origo attentius exploranda non erit. Qui ex leviore occasione ventriculum per guttur exonerant, infantes teneri: hi, supino in cunis sub decubitu, nisi adstet, qui vomentibus succurrat, corpusque anteriora, vel in latus convertat, Cura.

interdum suffocantur a vomitu. Similia adultis, ab alio forsitan morbo diuturno, vel magno, viribus jam fractis, ac semetipsos erigere, movere nesciis, si vomitus hoc corporis in situ contingat, instabunt pericula. Alvum quocunque sub vomitu cum clystere apertam servari, motumque intestini peristalticum revocari amissum, interest.

V. symptom. Diversas morbi ad species curandas quod spectat, alterius mali ut symptoma, vomitus sanationem, resecta prius, ex qua pendet, radice, habebit.

V. a Veneno. Si talis vomendi causa est, quam convulsus ipse excutiat ventriculus: quo facilius salutiferum hoc opus praestetur, cum tepida, promovendus, non vero sistendus erit vomitus. Sic *venenum*, aut res suspectae, ventriculo ingesta, excitata etiam per artem emesi, ut corpus peregrinum noxiumve, removenda, aut, si nimia jam foret agitatio ventriculi, cum opportunis, si nota sint, ex chemicis, antidotis destruenda, corrigenda, aut saltem cum tepida diluenda, vel demum ope

mucilaginis, aut olei, butyri liquefacti, vel nisi acida rei ingestae rei sit indoles, lactis involvenda sunt. Si quae rei venenosae ipso sub vomitu fuga simul per pylorum, intestinorumque abhinc laesio, praevidentur; haec ultima quoque, injectis per anum demulcentibus, oleosis remediis, infesto a stimulo defendenda sunt.

Sic vomitus a *crapula*, nisi sponte talis, qui crambem infestam eliminet, succedat, iterum cum tepida vel et levi cum emetico, promovendus est; quo interim sub opere cavendum erit, ne pleno protinus, aut utrumqne ad ostium spasmodice contractio, ventriculo, emeticum admoveatur inutile, aut stomacho, jam nimis extenso, infensum ingeratur, ac immobilis expelli tenetur materia. Diluenda igitur haec prius, quam emetico excutienda, aut fauces modo cum pluma aut immissum per digitum irritandae sunt: quo demum tanto sine impetu, ad sui evacuationem occlusus invitetur ventriculus. In hunc descendere atque agere si possit emeticum, pro urgentium violentia symptomatum, potientius interdum, quod apo- V. a Crapula.

plexiae, suffocationis imminentis a periculo hominem mox liberet, ac subjunctum huic, quod simul intestina exoneret, remedium indicabitur. Voracia nimis, quae molem ingestam evomere non possunt, animalia domestica, tam tristis rerum sub statu, audax interdum, de qua futuro in volumine loquemur, conservat operatio.

Atque haec de nausea, vomituritione, anxietate, majore ciborum voratorum ex copia oriundis valebunt! quodsi tamen hac sese liberare jam solus potest ventriculus; non opus erit sane, inutile ac vires nimis exhauriens huic calcar superaddere; et in ipso morbi causae effectu, et longa satis a novo alimento, donec fames hoc exigat, abstinentia, securius jacet vomitus remedium. Quodsi vero eodem gulae in vitio continuet, nec cibis subactu difficilibus renunciet aegrotus, viribus ventriculi sensim consumtis, labescent magis magisque istius functio, corporis nutritio; ac totius tandem systematis languor, illi ventriculi, indies adaucto, succedet. Minore tunc scilicet ciborum potusque fermentationi obnoxii a copia mox stomachi

oppressio, ardor et nausea redibunt; et contracta demum cum istis consuetudine, certas vomitus quotidie ad horas, non facili sane opera expugnandus, revertetur (§. 663.); ac ipsius tandem labes organica ventriculi (§. 664.) sequetur.

His ut obviam eatur aerumnis, summa in ciborum, aegrotis subministrandorum, selectu et copia moderanda sollicitudo ponendum est. Hinc vegetabilium, fructuum horreorum, in mole exigua haud satis nutrientium, accescentium, flatulentorumque, nec non vini, cerevisiae debiliorum, vapidorum, lactis usu seposito, ad victum animalem, staturata carnium ad jura, cum ovi etiam vitello remista, ad carnes teneras, non tamen aequo juniores, immaturas, glutinosas, aut pingues, ex sanis animalibus, et aquae dulcis ex piscibus desumtas, moderatum vini generosi ad usum, ad corporis exercitia, quae vires non deterant, sed excitent, ad amica consortia, mentisque gravioribus a studiis, a moerore, distractionem, ac demum ad ea, quae ventriculum, quae omne systema erigant, corroborent, remedia, recurrendum est.

Quae acidis in stomacho corrigendis opponi solent, alcalina, absorbentia; ea quidem molesti ardoris sensum pro tempore imminuunt; vix tamen morbi causam attingunt; sed ipsi primarum viarum acido conjuncta, alvum, quod saepe non expedit, aegrumque magis debilitat, nimis movent; ac simul, nisi causticae, aeriformis ac molestae ventriculo, intestinis materiae quamplurimum evolvunt. Meliora ex roborantibus remedia hic erunt, fel tauri, vel aliud, lignum quassiae, campechinum, cortex angusturae, peruvianus, trifolium fibrinum, ac similia, quae tamen liquida sub forma primum, ut aquae cinnamomi vinosae, aut naphae, aut aetheri vitriolico juncta, donec aliqua ex istis in substantia, ut dicunt, perferri queant, melius conducent. Sensibilitate ventriculi morbosa jam quidquam imminuta, martialia, ut aqua spadana, tinctura martis pomata, ferrique demum limatura, cinnamomi cum cortice, aut grato elacosaccharo nupta, indicantur.

V. a coarctat. Incerta est, ut diximus nascentis ad ventriculum aut calli, aut scirrhi, steato-

matis diagnosis; et quo aliquam haec ipsa certitudinem habebit, tempore: curationis plerumque jam longe aufugit occasio. Sub spe vero illius tam exigua, quam in resolventia sic dicta remedia, in graminis, taraxaci, saponariae, ononidis spinosae, cicutae virosae extracta, in gummi ammoniacum, saponem medicinalem, ac imprimis in mercurium, caute tamen, ne scirrhi in carcinoma transitum promoveat, adhibitum, cogimur reponere; major certe in victum, minores in portiones, frequentius porrigendas, distributum, tenuiorem, fere liquidum, ex ovo sorbili, carnium, gallinae, testudinum, cancrorum ex jusculo, ceu illis, quibus minor ad pylori angustias erit remora, ac nutrientes demum in clysteres, vitae, etsi miserae, protrahendae, fiducia ponenda est.

Similes *intestinorum*, ex causis adductis (§§. 664. 669.) *angustias* solvendas premit difficultas. Praeter usum vero alimenti pauci, saepius porrigendi, ac tenuis, oleum ex amygdalis recenter expressum; olivarum, lini, aut ricini, ad un- V. a coarctat. intestin.

ciam, vel integram, et ultra, quotidie assumtum, hanc praevenit interdum; clyster vero emolliens, oleosus, frequentius injectus, quod foeces in crassis intestinis collectae augerent, obstaculum imminuunt, et enemati nutrienti, quod chyli hucusque allidentis defectum aliquomodo suppleat, locum facit. Ea ipsa vero remedia, quae vitiis ventriculi similibus opponi solent, tempore scilicet vomitionibus intermedio, exhibenda sunt.

V. a Volvulo. Varia ad volvulum (§. 664.), ut vomitus ileique causam, dissipandum data fuerunt, — ambiguo diagnosis, fere semper incertae, fulcro innixa, consilia. Nunc etenim *vivi* ac mobilissimi a pondere mercurii, ore scilicet ingesti, sperabant, susceptum ab alio intestinum, sua e vagina posse protrudi; — nunc per *tepidam*, *ope machinae hydraulicae*, vel majoris syphonis, sua captivitate illud liberare studebant; nunc vero ipsam *abdominis*, quo loco doloret, tumeret, *incisionem*, qua nempe volvulum mox detegi, ac a digitis chirurgi explicari posse sperabant, proponere sunt ausi.

Ad *mercurium* quod spectatat, si auxilio non esset, ab eo, — ut qui, *vivus*, vasa lactea subire, ob pondus volubilitatemque, recusaret, — nil damni metuebant, nec desunt peractae hoc a remedio sanationis, non tamen nobis ipsis oblata, exempla. Haec quidem, conpiscuis a viris adducta, negare protinus veremur; sed num *volvulum*, qui forsitan haud adfuit, tollendo, — vel num alia, simul adhibita, magis, quam porrectus mercurius, morbum profligaverint; hoc saltem in suspenso relinquimus. Vidimus interim in Italia virginem adultam, cui, praesentis ob volvuli suspicionem, ante sex jam hebdomadas, unciae mercurii *sexdecim* per os ingestae fuerant. Convaluit haec sensim a morbo, quin ultra *tres* uncias hydrargyri per anum reddidisset. Sed eo a tempore, de sensu *frigoris molestis* in coeti intestini regione et, quoties sinistrum sese in latus converteret, de pondere, ex dextro, in hoc ipsum delabente conquesta, *rebellem salivationem*, — quam tandiu contritus intestinali cum muco mercurius induxit, — subivit. Cum vero por-

Per mercurium.

tio intestini nunc *superior*, ab ea, quae sequitur, — nunc *inferior*, ab illa suscepta, volvulum constituat: qua ratione mercurius, primo in casu, intestinum liberaret nec potius deorsum magis protruderet, difficile est intelligere. His accedit, quod rarum sit, e volvulo, nisi prius *inflammato*, fuisse ileum inductum; quo certe in casu, a pondere mercurii non potest non augeri irritatio.

Per injectiones. Potior forsitan certis in casibus *tepidae*, vel oleo, saponi, salibusque remistae, quantitate ac impetu majoribus, quam per simplicem clysterem possit, ano injectae efficacia. Tanta enim est machinae hujus *hydraulicae*, — primum a celebri Haemastatatices scriptore, dein amico nobis Mediolanensi a medico, — mox a scholae *Vindobonensis* clinicae antistite quondam clarissimo, per experimenta in canibus hominumque in cadaveribus suscepta, confirmatae, ac tandem anglo a chirurgo saepius cum successu in hominibus adhibitae, potentia: ut ipsa valvulae, quae ad colon est, resistentia, huic, sine damno cessisse, et aqua per anum inje-

cta, ad ventriculum pertigisse conspecta sit.

Interim dirupti hoc experimento, in cane vivo, intestini, aquarumque ex isto, in cavum abdominis effusarum, — hominis adeo, non diu hanc post operationem vita defuncti exempla, ipseque dolor acutus, quem aegri hinc inde ab impetuosa hac intestinorum extensione accusant, — quam caute hic incedendum sit, satis ostendunt. Quodsi enim aquis copiosius impulsis, vel fortiore invalvula coli, vel exsiccatis in foecibus, vel peregrino in corpore, vel in tumore scirrhoso, vel in spasmodica, aliaque contractione, angustia canalis, vel in volvulo, vel herniae latentis ad locum, obstaculum sese opponat, quod majus est gradu extensionis, quam intestina admittant; incautus, qui mensuram istius, viresque machinae hydraulicae ignorat, chirurgus, lethalem morbi, mitiore sub methodo forsitan sanandi, exitum promovebit. Quotiescunque hinc, aliis incassum adhibitis, — intestinorum nisi adsit inflammatio, hoc demum ad experimentum confugiendum esse, ex eo, quod melius sit anceps, quam nullum experiri remedium, putatur; lente

primum gradu, ac donec sensibilia huic extensioni intestina adsuescant, homine in cubitus genuaque procumbente, aquae per anum pellendae sunt. Quamprimum vero aegrotus dolentis in abdomine sensum extensionis accusat; injectio per aliquot minuta sistenda, venter cum oleo inungendus, leviterque per manum impositam, ut aquae sese facilius per intestina diffundant, tractandus est: donec cessante aut moderato in abdomine dolore, eadem sub cautela, ac usquedum alvi deponendae nisus accedat, repetatur injectio. Nisi foeces per anum sequantur; iteranda est aliquoties, vel post horam, vel post bihorium, operatio; qua, in homine adulto, sex fere aut octo aquarum librae prosunt impelli.

Per abd. incis. *Incisionem abdominis*, ob volvuli suspicionem, in ileo instituendam, sub tanta istius, causarumque aliarum incertitudine, vix opus est, ut, post magna, quae jam Galliae chirurgus egregius eidem, etsi felici jam quondam cum successu tentatae, opposuit argumenta, pluribus refellam.

Chronicam, aut acutam vomitionem ex

compressione oriundam (§. 665.), solutio istius avertit. Hinc conversae ad ventriculum cartilagini mucronatae, — sterni, costarum fracturae ad leges chirurgicas prospiciendum, ac viscerum tumori, ventriculo infesto, debita quam alibi trademus, opponenda medela est.

Ad *Atoniam* ventriculi, ut chronici causam vomitus (§. 666.), quod spectat, difficilis quidem ea curationis est; ipsa interim, quae in dosibus refractis porriguntur, emetica, ventriculi hanc inertiam subinde corrigunt; ac in genere, irritantia; leviterque adstringentia, aromatico seu volatili principio conjuncta, indicantur hic remedia. Elixir hinc stomachicum, fel sani animalis inspissatum, extractum quassiae, gentianae, absyntii, in aqua cinnamomi vinosa solutum, arnicae radicis et nucis moschatae pulvis, parva dosi, sed frequentius porrectus, integri grana piperis sex, vel decem, jejuno ventriculo ingesta, camphorae granum unum vel alterum aliquoties in die sumtum, hic maxime conducunt. Regionis epigastricae frictio, aut imposita huic aromatica, empla- V. ab atonia.

strum vesicans, non minus commendanda sunt.

V. a sensibilit. morbosa. *Morbosa Ventriculi sensibilitas* corrigitur per ea, quae causas istius moderant vel auferunt. Saepius est sola debilitas totius systematis, potissimum ventriculi, quae stimulum a cibis rudioribus, parum comminutis, paulo copiosioribus, vel quadam acrimonia imbutis, spirituoso a potu, haud perferat, et stomachum submoveat. A pauco alcohole assumto, in viro sensibili, constantem singultum observavimus. Ipsum adeo opium, nisi parca in dosi porrectum in cholera, cardialgia, illico per vomitum expellitur; etc. hoc igitur rerum sub statu, blandiora, alias hoc nomine vix digna, stimulantia praeferenda sunt. Singula interdum, sub febre asthenica, ventriculus sensibilissimus, praeter, *gelidam*, aut ipsam praeter *glaciem* saccharo conditam recusat; et quae toties, ventriculum obducendo, illiniendo, profuisse creduntur, *mucilagines*: hae, non tam dicta, mechanica, ratione, quam ex eo, quod mittissimum modo, ac tactui morboso adaequatum admoverint stimu-

lum, utiles fuerunt. Plurimae, quas chlorosis, hysterismus tenent, virgines, sub morbo jam provecto, nec corticis peruviani decoctum, nec alia amara, nec martis tincturam, sine vomitu, retinebunt, elixir vero acidum *Halleri Mynsichti*, cum gelida, et placido cum syrupo remistum, mox gratus amplectetur, ac majores abhinc ad stimulos praeparabitur, ventriculus. Saepius, sub gravi rerum positione, medicis haud paucis lusisse videbamur, cum magnis exigua morbis remedia opponeremus; sed felix hanc methodum eventus coronavit, et quos illi cum calcare morbos rudiore, sine quovis successu compresserant illico, et, recalcitrantes, modo auxerant: hos, blandiendo primum, — docili vero jam stomacho, suaviter monendo, ac demum, ubi jugo hic collum submitti adsuevisset, stimulo majori coercuimus.

Est, ubi morbosa ventriculi sensibilitas et vomitus, ex blandi, quo sub statu sanitatis ille fovetur, muci animalis defectu, per emetica, purgantia, venena aeriora inducto, provocentur. Hoc in casu, debi-

litas, ut vocant, *indirecta*, majori a stimulo inducta, subesse, videri posset; sed major hic utique abrasi umoris benefici, superficiem ventriculi oblinientis, jacturae est ratio; ac non tam stimulus praemisso stimul haud multum inferior, quam illa, quae nudam stomachi superficiem, principio glutinoso imbuta, artificiali quasi mollique epidermide obducant, custodiant, indicantur. Similis est vomitus ab *aphthis* a ventriculo deciduis, vel ab *ulcere* stomachi oriundi, sanandi methodus: et radicis salep, hordei, oryzae, ex jusculo animali, decoctum, emulsio arabica, cunctis fere palmam hic praeripiunt remediis.

Aliter constituta res erit, dum *arthritis fixa* (morbus, qui toties inductam ex abusu spirituosorum debilitatem pro causa agnoscit) loco pedum, vel partium externarum, ventriculum concutiat, vomitumque rebellem facileque lethalem, hic provocet. Ea etenim sub rerum positione, nec mucilaginosa, demulcentia, nec stimuli leviores, sed vinum generosum, aether sulphuricus, ac opium, frenando morbo sunt apta. Praefectus militum *Ticinen-*

sis, arthritidi, quam *vagam* adpellant, subjectus, in cardialgiam incidit et in vomitum rebellem, — sub morbi principio, acsi febris tertiana lateret, periodicum, nec tamen a cortice peruviano, nec ipso, ab opio, cum singula remedia, nec minus potulenta, quam alimenta, per quindecim jam dies illico rejicisset ventriculus, domandum. Huic, in consilium vocati, amplum mox vesicans emplastrum regioni epigastricae adposuimus. Vix phlogosim ac urentem dolorem hoc ipsum in cute excitaverat; cum iste ventriculum demitteret, ac plenam huic fonctionum libertatem concederet. Si vomitus herpetem, vel ulcera antiqua, alibi praepostere sanata, sequatur: secretione morbosa consuetis in locis, per vesicans adplicitum restituta, ventriculi turba haud raro compescitur.

Si major forsitan vasorum ventriculi ex infarctu cruento, expansio, distractio, sensibilitatem hujus visceris morbosam provocaverit; habito causarum talium respectu sanguinem, quod raro indicabitur, tunc mittimus, nunc fluxus sanguinis, a

natura, consuetudine; praescriptos, revocamus; nunc obstructiones viscerum, ut mali originem, adgredimur; nunc stimulos leviores, permanentes, ut vasorum atoniae succurramus, caute admovemus.

Si *per consensum*, quem ventriculus cum intestinis, hepate, liene, vel cum parte dissita amica, cum renibus, uretheribus, vesica, per calculos forsitan, aut per alia, adfectis, — cum encephalo, utero, aliit, stomachus contenta convulsus eructet: tunc, habita primarii morbi diversa ratione, vel in prioribus jam exposita, vel alibi exponenda, curam suscipimus; nec raro, donec opem huic ferre, vel chirurgicum implorare auxilium queamus, nisi alia id vetuerint, ad opium recurrimus.

Vomitus impraegnato ab utero, nec alia forsitan, cui nempe gravide non minus, ac aliae quaequae foeminae subjectae sunt, a causa venientes, raro, ipsius nisi graviditatis sub medio, vel subsidente jam demum viscere prolifico, sistuntur; est tamen, ubi foeminae robustae venaesectio, — est ubi blandum eva-

quans hos sedent ; est , ubi aquae seiteranae, vel similes , aut interdum martiales, suasu medici egregii , perbelle conducant.

Qua demum ratione febris , quam *perniciosam emeticam* dixerunt , peruviano cum cortice, et cum opio tractanda sit jam dictum est.

ORD. IV. GEN. III.

CHOLERA.

§. 672. Acsi morbi quivis alii hoc nomine indigni essent, hunc, de quo hic agimus, *choleram*, *morbum* dixerunt. Est vero haec, effrenis vomitus, cum effreni diarrhoea, nec per artem, nec demum a veneno inducta. Quodsi *bilis* hoc in morbo vomatur; non aptum nimis ideo nobis nomen, sed quod civitate antiquitus donatum sit, retinendum videtur. Definitio.

§. 673. Sub fine aestatis, ac autumno imminente, quo dysenteriae hinc inde prodire consueverunt, tempore, *cholera* caput exserit; non interim alio aestivomense, si frigus nocturnum diurnos calores Invas. modus.

sequatur, ea prorsus excluditur. Sporadice hic morbus sub coelo temperato, ac nequidem frequenter occurrit, rarius, interdum, *epidemice*, calidioribus in locis frequentius, grassatur, et quasi *endemicus* agnoscitur.

Divisio. §. 674. Displicet nobis auctorum divisio, quae *choleram* in *spontaneam*, *legitimam*, ac in *artificialem*: seu *spuriam*, bipartiunt. Etsi enim ab acribus, a drasticis, a venenis ingestis, quo ultimam hanc referunt, et vomitus et simul diarrhoea effrenis oriantur; alterius tamen subsellii haec esse, vel ex eo jam comparet: quod prima, totius morbum systematis, — *hypercatharsis* vero, localem modo ventriculi intestinorumque adfectionem constituat; et ex eo, quod, licet aliter vir magnus crediderit, non eadem curandi ratio, saltem in utriusque morbi principio, locum inveniat. Majoris in medicae artis exercitio momenti divisio est *cholerae* in *apyreticam*, quae sine fere incedit; — et in *febrilem*, quae febris legitimae, periodicae, et quidem *perniciosae*, plerumque tertianae, symptoma est (febris

intermittens cholerica (§. 35.) ac loca paludosa, calido sub coelo, vel maxime infestat; cum prima; ubique frequentius hac ipsa occurrat. Nec placet cholerae in *humidam* et in *siccam*, — qua in ultima, aeriformes vapores et ore et ano, sub magna anxietate, cum impetu et copiose explodi dicuntur, antiquissima licet, divisio. Hypocondriasis enim vel hysterismi symptoma haec dicenda est, chronica plerumque, nec, ut cholera, *acuta* adfectio, *Sthenicam choleram*, quam aliqui descripserunt, nec vidimus, nec facile concipimus.

§. 675. Subito et cum impetu plerumque *cholera* hominem prehendit. In quibusdam eandem praecedunt: sensus lassitudinis, stomachi tensio, dolores, ructus acidi, nidorosi, nausea, salivae frequens exspuitio, abdominis inflatio cum sonitu, colici dolores pungentes. Mox uno impetu et tempore, vel saltem alternatim, et vomitus et fluxus alvi effrenes sequentur. Primum aquae similia, dein, acsi recens caro lota esset, — non nunquam alba, et Cholerae decursus.

nigra, — in aliis, quod rarum est lympha modo limpida, et ad frigus coitura, — in multis, primum ciborum reliquiae, postea, humores biliosi, plus minus muco permisti, mox flavi, mox aeruginosi, mox fusci, nigri plerumque acidissimi ac fere corrosivi, una cum copiosis iterum ructibus et flatibus, necnon ipso nonnunquam cum sanguine, repetitis, frequentissime vicibus, et sub tam subitanea virium prostratione redduntur: ut assumti veneni haud raro subintret suspicio. Ventriculus interea, ipsaque intestina mirum contorqueri solent in modum. Vehementissima scilicet illum cardialgia, cum siti intensa, voce clangosa et rauca, — haec vero maxime supra umbilicum, rosionis, morsicationis sensus invadit. Urina in vesica multorum retinetur, aut certe urit excreta. Ad anum, tenesmus urget. Singultus fortiori malo succedit; crurum, surarum brachiorumque musculi tenduntur, convelluntur; incurvantur digiti, livent ungues, algent extrema, frigido viscidoque sudore obtecta, cum internorum ardore, ac animi deliquiis. Arteriae, jam antehac

contractae ac minime, pulsationes nunc offerunt frequentissimas, inordinatas; nunc vero a digito vix amplius distinguendas. Vehementiore in cholera, aegroti, ob immensam adeo, ac celerem humorum ex ventriculo intestinisque simul jacturam, ob crudelia et corporis et animi tormenta, post quinque, sexve jam horas, faciem vel maxime mutatam, collapsam, et sibi dissimilem ostendunt, atque, nisi promptum feratur auxilium, nunc adeo angusto unius nyctemeri spatio, — nunc secunda, tertia, quartave die, raro tardius, efflant animam.

Ubi *febris periodicae* legitimae typum assumit cholera: frigore vel praevio, vel nullo, extrema illico lassitudo, cardialgia, et atrox vomitus, et alvi excretio torminosa, frequentissima, cum aliis morbi jam descripti symptomatis, accedunt. Quodsi vero his ferendis vires sufficiant: die intermedia vel una, vel altera, praeter magnam lassitudinem, vertiginem, somnolentiam, nil conqueritur aeger; sed eadem fere hora, qua antehac, redit nunc alter cholerae paroxysmus, priore vix non fe-

rocior, ac facile lethalis, vel saltem, nisi experta manus opem ferat, futurum, sequente sub accessione interitum praenuncians.

Differentia.

§. 676. Quantum haec ab ea, quam *spuriam* dixerunt, et quae ex alimentis, mole, qualitate peccantibus, oriri dicitur, *cholera* distant! Sanissimus enim, vel de morbo vix cogitans, illa homo devoravit, ac erroris commissi non inscius, localis adfectionis sensum, primum in ventriculo, tardius ad intestina, experitur. Quodsi vomitus illum sequantur: hi alvi fluxum sat diu *praecedunt*, nec utraque *illico simul* succedit excretio: quidquod sequente diarrhea, vomitus plerumque fraenetur frequentia. Quae vero utramque per viam expulsa sunt, ea de crambe pridie ingestorum incocta sat diu testantur, cum in *coholera*, ejectis forsitan cibis moderate assumtis, innocuis, ac faecibus in crassis intestinis communiter detentis, praeter *fluida* acerrima, copiosa, vix aliquid expellitur. Praeterea quovis anni tempore, aestivo non magis, ac alio, ingluviei effectus *gulosos* apud homines, — cholerae illi,

certo plerumque anni sub stadio, in sobrio aeque, ac intemperante in homine, sistuntur. Assumti symptomata *veneni*, cum illis *cholerae*, magis interdum conspirabunt; et major erit effectuum utriusque morbi distinguendorum difficultas. A plerisque tamen *venenis* hieme iterum non minus, quam aestatis sub fine, efficacibus, vomitus effrenis, alvi ductionibus violentis longe prior est, haud raro rei venenosae particulae, per vomitum simul explosae, oculo experto se produunt; et certe, quidquid contrarii a viro, cujus magna apud medicos auctoritas est, concessum sit, crapulae, veneni ingesti non *eadem*, sub morbi principio, quam *cholerae*, curandi ratio admitti potest (§. 679.).

Non tam ardua *choleram* a *dysenteria* (§. 688.) distinguendi res est. Vomitus quidam et istius in principio, sed minus constans, minusque violentus, ac in illa, — sub fine rarior, occurrit. Frequentior longe, saepiusque epidemica *dysenteria* est, ac seriorem in autumnum extenditur. Copiosiores in hac, etsi tenesmus in *cho-*

lera ubique non desit ; deponuntur, fluidissimae materiae. Febrilis, nisi solum ad pulsum respicias, *dysenteriae* ubique morbus est; in *cholera*, sub insigni licet pulsuum, tantis sub nixibus, angustiis, frequentia, febris tamen exulat, et vomitu alvique fluxu ad artis praecepta sedatis, mox placida sanguinis circulatio redditur, ac turbae, quae febrem mentiebantur, disparent. Promtissime, nisi recta sub methodo, *cholera* extinguit hominem, et, quasi utrem inversum, contentis privat liquidis, etsi vero *dysenteriae* quoque cito lethalis habeantur exempla; tardior tamen plerumque ex ista est interitus.

Causae. §. 677. Magna certe primam *cholerae* causam caligo involvit. In bilis per aestivos calores acredine adaucta, cholerae originem vix non omnes quaesiverunt, sed nequidem sub tanto morbi gastrici, biliosi apparatu, hoc malum ex bile, — sed bilem ex morbo scaturire contendimus. Scilicet moestitia, quae salso genas humore inundat, ex lacrymis descende-

ret!... aut maritima navigatio, quae stomachum tibi movet, ac bilis flavae, herbaceae, aeruginosae, copiam ex illo immensam pellit, biliosae, foret indolis!... Quousque demum *effectus* morborum, pro *causis* venditare pergemus? Oleum ab igne rancescere dixerunt, quo quidem *cocto*, *fricto*, tot populi, — quin rancorem contraxerit, quotidie cum delectatione vescuntur; et bilem, sub statu sanitatis vix per horas eandem, ac virium vitalium imperio gaudentem, a gradu caloris longe minori, aduri, torrefieri credemus! Secretionis ope morbosae, sicut alios humores animales, ita et *bilem*, tum copia, tum indole peccantem posse parari, lubenter concedimus; sed quod secretionis huic vitio ansam dedit, non humor secretus, — etsi hic quoque suos edere effectus queat, pro morbi causa ponendum est. Sinceram cholerae brevioris imaginem offerre solebat quondam poena, in certis Germaniae provinciis, meretricibus vulgatissimis imponi solita. Hae scilicet caveis oblongis, angustis, ex trabeculis constructis, erecto corpore commissae, lictoris

per manus, in foro, celeriter in orbem ductae, post pauca minuta secunda, nauseosos sane exemplo, ut in ipsa *cholera*, insignem bilis copiam et ore et ano simul reddebant. Ut igitur talia contingant nec bilis acredine, nec copia morbosa indigemus; sed sola piaphragmatis, musculorum abdominis, et simul ventriculi convulsio, quocunque demum a stimulo provocetur, ut bilis varii coloris, saporis, compresso, agitato simul ex hepate prematur, emulgeatur, — ut vasorum stomachi, intestinorum secretio in immensum augeatur, mutetur, jam sufficit. Quam profusus in *peste Britannica* (§. 85.), in *Elode*, sudore cute prorumpit! an simile quid sub *cholera*, in abdominis visceribus contingit? Rariorem sane causam, quae istam producat, ob morbi ipsius infrequentiam, dixerimus! sed quaecunque demum haec fuerit, ex sola illius in solida, praeprimis in nervos abdominis, actione, excitari hae turbae poterunt. Quantus sit cutis cum ventriculo, intestinis, et istorum, cum cute, consensus, jam diximus (§. 274.). Non mirabimur hinc, si, non adsuetum

apud hominem, a pedum in frigido balneo quotidiano, — si a sudore pedum suppresso, — si ab incessu nudis pedibus super frigido pavimento suscepto, — si a natatione diuturna in aqua fluminis gelida, *choleram* secutam esse legimus; si pistor sanus alias et juvenis, viginti septem ante annos, nobis oblatus sit, qui, postquam ardentem ad furnum plurimum sudasset, ac, refrigerium quaesiturus, in cellam descendisset, ibi vero aliquot per horas super humo frigido obdormivisset, a crudeli *cholera* illico correptus fuerit. Sed neque mirabimur, si ex ira, terrore, effreni *choleram* fluxisse, per plura exempla confirmatur; si mulieris, sub quavis menstruorum suppressione a cholera prehensae, redeunte vero fluxu uterino, liberatae, — alterius vero, cui a lochiis suppressis cholera accessit historiae exstent, si vel sola febris perniciosa intermittens, saepius, ac ipsa enteritis aliquando, vel et peripneumonia, peritonitis, puerperalis imprimis, *choleram* sibi pro symptomate consocient; si arthritis, abdominis in viscera furiens,

lethalem viro summo, et de hujus ipsius morbi historia bene merito, *choleram* induxerit: ut quae singula satis docent, non unam quasi esse ac specificam, in bilis copia, acredine scilicet, *cholerae* causam; sed quemvis stimulum fortiorem, sub data rerum positione, ventriculo, intestinis illatum, huic, raro est, morbo excitando esse parem.

Num igitur, sub coelo imprimis urente, *a virium*, ut quibusdam est visum, *superabundantia* hic morbus aliquando originem habuerit, ignoramus (§. 674.); ac, sub tanta humorum jactura, si modo per aliquas haec horas successerit, vix intelligimus.

Quodsi vero illius, quam *spuriam* vocarunt, et quae longe frequentior est vera, *cholerae* causas hic tangere velimus, innumerae hae sunt: quae scilicet ventriculo ac simul intestinis stimulum localem inferendo, *hypercatharsin* producant. Huc spectant emetica, drastica fortiori manu porrecta; venena, arsenicum imprimis, mercurius corrosivus, fungi plures, ova barbae piscis; fructus adeo horrei majori

copia ingesti, cucumis, melo, mala persica, pruni, frigida maxime, aut vino, cerevisia recentibus desuper epotis; cibi pingues, oleosi ac dulces; saburrae acidae, putridae ex ingluvie relictae, verminosae, etc.

§. 678. Funestus est plerumque *cholerae*, sibi ipsi relictae, exitus. Sub artis vero praesidio, sat cito concesso, plerique ex illa, quod tanta in alio morbo symptomata vix sperari permitterent servantur. Senes atque infantes hic morbus citissime e medio rapit. Convulsio, praecordiorum summa angustia, jactatio major, singultus continuus, extremitatum frigus marmoreum, ardor internus, facies in totum mutata, lipothymiae frequentes, vicinam mortem fere indicant; etsi non pauci et hoc rerum sub statu, a recta methodo serventur. Prognosis.

§. 679. Maturius hoc in morbo, quam in quovis alio, ex *bilis* vitio per scholas derivato, evacuantis methodi discrimina pars major medicorum agnovit. Cum vere Cura.

ipsa jam antiquitas primo sub insultu, odiosae bilis expellendae gratia praeter *tepidam*, qua stomachum alvumque elueret, offerre nil auserit; aetas posterior, huic, modo pulli, carnis bubulae, vervecinae jura, vel panis, hordei, oryzae decocta, sub *cholerae* principio copiosius haurienda, haud magno sane artis conamine, progressu, substituit. Hanc nos quidem, timidam adhuc nimis, methodum ex perspecta minus verae *cholerae* indole, et hujus, a morbis localibus, ex saburra, veneno oriundis distinctione descendisse opinamur; sed quousque incerta esse potes morbi diagnosis, primos aegroti ad vomitus, non in totum rejicimus. Vix tamen artis periti, ac ne vix quidem, ut longaevum istius exercitium nos docuit, ad *choleram* sanandam tam promte vocantur, ut latentis forsitan saburrae: (froenando vomitum alvumque, jam nimis effrenes) retinendae timor aequus esse queat.

An vomitus sit promovendus?

An Vena secanda? Sed si damno plena, vel saltem suspecta esse possit, prima, quam sibi plurimi hic ponunt, indicatio: qua scilicet peccan-

tem noxiamve, ut putant, materiam corrigere, attemperare, et ejicere satagunt; non minor est alia, in re tam gravi medicorum discrepantia. Partim nempe, ut diximus (§§. 674. 677.) sub coelo fervido, partim in Anglia, atque ipsa demum in Germania, fuerunt, qui *choleram inflammatoriam*, seu sthenicam, — et per venaesectiones cum successu tractatam fuisse, testati sint. Certe, experientia dum loquitur, — rationem vel silere, vel illi consonam esse oportet; sed non omnem, qui *cum* venaesectione tractatus fuit, — ipsa, quae sola adhibita non fuerit, morbum sanavit, venaesectio, ac donec experiendi ars tam difficilis, plurium, hanc vere edocti, virorum suffragio suffulta, contraria nos, ad haec amplectenda tam promtos, quam cautos edoceat; venaesectionem in *cholera*, nostris non paucis, et felicibus observationibus innixi, rejiciendam esse putamus.

Expulsa jam satis, ut credebant, morbi fomite, veteres cum *frigidis*, stomacho exterius admotis, et *potu* quoque *gelido* morbum aggressi sunt: qua certe in me- Frigidae usus.

thodo, nisi summa jam virium suppressio contrariam expetierit, — quod felix saepe eventus eandem; tum in *cholera*, tum *chronico*, ex morbose ventriculi sensibilitate oriundo, *vomitu*, coronaverit (§. 671.), — imitari merentur.

Vinum. *Vini* quoque usus generosi, scilicet exigua portione porrecti, veteribus jam notus ultro commendandus est.

Pot. antemet. *Potiones*, ut vocant, *antemeticae*, ex sale alcalino fixo, vegetabili, succo citri remixto, media sub effervescentia hauriendae a quibusdam laudatae, etsi nobis sub *vomitu* hinc inde profuerint, cum tam acuta hic premant vitae avolandae discrimina, *certiori medicameni*, ne tempus forsitan incassum teratur, postponendae sunt.

Opium. Est vero hoc omne in *opio*, ratione, qua stomachus hoc ferat, porrecto, collocatum. Quodsi nempe unquam divinum hoc auxilium, sub ipso *cholerae verae* principio porrectum, nocuerit: non quod peccantem in ea humorem, ut morbi causam, retinuerit, — sed quod primis stomachi convulsi furoribus froena

quidquam laxanda sint, id fecisse videtur. Donec tamen medici consilium, tam raro prompte nimis, imploretur, haec ipsa contrahendi, plerumque praeceps jam satis, nec ulterius negligenda, est occasio. Ipsum verò opium, vel rebus gustui ingratis, vel irritato nimis ventriculo copia sua molesti remistum, — vel solum quidem, sed dosi majore ingestum, vomitum haud raro movebit. Hinc sola *tinctura thebaica*, ad guttulas quindecim primum, post quartam vero quamvis horae partem, donec vomitus omnis sedetur, decem ad guttas, vel saccharo instillata, vel cum aquae melissae, vel simplicis, paucissima quantitate, porrecta, omnem hic paginam absolvit. Necesse vero est, a vomitu cessante, non illico remedium hoc omne suspendi; sed intervallis nunc quidquam longioribus, ac minores ad doses, nisi sopor insequatur, per dies aliquot exhiberi.

Qui *clysteres* hic saepius, ut alvus, jam nimis mota, eluatur, injiciendos esse dicunt: illos vix unquam hunc morbum in sua ferocia vidisse, et extremas sub eo difficultates, corpus aegri, tam anxii et Clysteres.

exhausti, hoc ad opus vertendi ignorare oportet. Interim, si opium, ore assumtum, diarrhoeam effrenem non comprimeret; idem hoc remedium, *enematis* sub forma, pauco carnium jusculo, ovi vitello, et amylo remistum, ano injici omnino posset.

Theriacam praeterea, vel oleum nucistae, vel sacculos, herbis floribusque aromaticis repletos, et cum aceto, aut cum vino generoso, aut cum spiritu lavandulae irroratos, regioni ventriculi, — vel si atrox ventrem dolor dilaniet, fomentationem, cataplasma levioris ponderis, huic ipsi admoveri, juvabit.

Fomentationes. Cum vero frigus extremitatum, summa arteriarum debilitas, pulsuum vacillatio, intermissio, oculorum caligio, lipothymiae frequentes, — ne vires demum vitales extinguantur, nos admoneant; quod jam veteres cum oleo calido faciebant, brachia et crura cum vino, cui herbae aromaticae infusae sint, calido; fricabimus fovebimusque assidue.

Cura chol. intermitt. Ubi *febris intermittentis perniciosae* typum observaverit cholera: *opium* tunc;

quo cortex peruvianus, ratione qua diximus, a stomacho feratur, non minus erit necessarium.

Calomelas et *opii* refractas doses, *americae* a medico, in *cholera*, quae infantes illinc plurimos corripiat, laudatas, nos quidem nunquam hucusque praescripsimus. Calomel.

Coeterum, devicto jam morbo, viribus collapsis ita succurrendum est: ne cum stimulo fortiore, aut ingrato, tam facilem adhuc diu in vomitus, stomachum moveamus. Amara hic magis opportuna sunt. *Radicem columbo*, sub ipsa *cholera*, *occidentali in India* communissima, felices effectus habere, tradiderunt. Haec igitur radix convalescentibus, quibus alvus adhuc est mollior frequens, in decocto, aut vino hispanico, tockayensi, infusa, praescribi potest. Tinctura martis demum, sed tardius, cum aqua cinnamomi, victus parcus, sed frequens facile subigendus, ac nutriens, aer campestris, amica consortia, corporis moderata exercitia, rem omnem absolvent.

ORD. IV. GEN. IV.

DIARRHOEA.

§. 680. TUBUM intestina humana praelongum, ut experientia recentior docuit *vivente* animali *breviorem* plicisque internae membranae evidentioribus instructum, — in *frigido* vero ac *emortuo*, *longiorem*, — membranoso — muscularem, hic tenuem, illinc ampliorem, crassiorem, propriam per valvulam divisum, constituunt. Hic vero canalis tortuoso itinere incidens, communi membrana suspensus, tum ramis arteriosis, venosis, tum vasis lymphaticis, glandulis cryptisque mucosis ditissimus, chymo ex ventriculo suscipiendo motu proprio ac lento cum suis hu- Intestina.

moribus, cum bile, cum succo pancreatico miscendo, in animalem magis materiam convertendo, donec magnum hoc opus peractum sit, concessas inter plicas ac in spatiis amplioribus retinendo, et faecum tandem sub indole per anum, suo sphyntere munitum, propellendo, dicatus est.

Amplissima, et cutis illa vix minor, superficies canali huic data est: ex qua, sub statu sanitatis, vaporis blandi, ac humoris mucosi continuo, quantum nempe ad eandem defendendam, humectandam, lubricandam, sufficiat, secernitur. Quodsi vero major liquidi serosi, lymphatici, mucosi, puriformis, hac ipsa ex superficie distillet, ac promtius, frequentius, copiosius, cum contentis, per anum praecipitet: morbosum profluvium exoritur.

Definitio. §. 681. Hoc autem profluvium (§. 680.), seu aucta, mutata intestinorum, interdum et visceris contigui in illa, secretio, ac frequens, fluidor, copiosior, secretae materiae, vel solius, vel aliis contentis commistae, per alvum dejectio, *diarrhoea* vocatur

§. 682. Varia hujus profluvii (§. 681.) est indoles. *Primariam*, *idiopathicam* dixerunt, ubi causa hujus mali vel ipsis intestinis inhaeret; *secondariam*, *symptomaticam*, ubi vel alio ex morbo, vel a stimulo longinquo, per consensum, hoc nascitur profluvium. Cum vero nunc citiorem nunc lentiorem, nunc vero *periodicum* decursum diarrhoea absolvat: vel *acutam*, etiam febrilem, vel *chronicam*, *habitualem*, — ac, si aegrotantis in salutem contingeret, *criticam*, si morbi chronici, vel tabis sub fine lethali rebellis contingeret, *colliquativam*, — si per artem sequeretur, artificialem, nominarunt. Nunc vero late inter populos divagatur, *epidemica*, — nunc unum modo alterumque, ex causis diveris prehendit, *sporadica* diarrhoea. Respectu materiae per alvum excretae, diarrhoeam *stercorosam*, *verminosam*, *biliosam*, *serosam*, *subcruentam*, *mucosam*, *chylosam*, (fluxum coeliacum), — modo *semigestorum* (lienteriam), — *saniosam* (fluxum hepaticum) vocarunt etc. Singulas has species et alias, divisio, diarrhoea in Divisio.

illam, quae *locali* affectione contingit, et in illam, quae *totius systematis* influxu exoritur, vel *sthenicam*, vel *asthenicam*, comprehendit. Unica interdum intestini pars magis adfecta, alvi fluxum inducit; sed saepius certe, dum uni modo illius loco inhaesisse morbi causa, post mortem, videtur: vel sistema universum, vel tractus intestinorum omnis, prehensa fuerunt.

Symptomata. §. 683. Symptomata diarrhoeae generalia sunt: languor, oppressio ventriculi appetitus deletus, inflatio, tensio abdominis, obstructio alvi, borborygmi, plerumque, — pulsuum intermissio interdum; praecedunt. Sequitur mox dolor ventris, per vices invadens, nunc hanc istius partem; nunc illam quasi discindens, perterebrans; nauseam, vomendi conatum, preves inducens, ab alvo, primum foecali, excreta, remittens; mox iterum, eadem, fluidiore, instante rediturus. Saepe satis vix dolor diarrhoeam comitatur; sed praeviis modo turbis abdominis, flatibus hinc inde divagantibus, sonoris, alvus denuo excernitur liquidior, copiosa. Sub hoc ve-

ro profluvio, abdominis moles ac tensio minuuntur quidem in multis; in aliis vero redeunt, et quo major copia humorum ano excernitur: eo magis augentur, *meteorismus* subnascitur. Urinae interea parcius secedunt, cutis plerumque sicca est. Rarius tenesmus ad anum hic premit; post frequentes tamen alvi excretiones, ardor in recto intestino percipitur incommodus. Continuante per dies, aut ultra, hoc fluxu, — vel eodem, licet breviter, sed magna humorum sub jactura absoluto, facies mirum collabitur, pallescit, mutatur; torositas, pinguedo corporis, vel si quis praecesserit, tumor aquosus, subcutaneus, disparent; cutis exsucca flaccescit; ulcera, fonticuli exsiccantur, crura vacillant, pedes tumure incipiunt, febricula accedit, capilli decidunt, lipothymiae sequuntur; et vel tabes, vel hydrops, vel — novo atque diro, ardente, fixo, abdominis in cavo suborto dolore, praevio singultu vomituque, intestinorum inflammatio, gangraena, succedunt.

Post ingluviem et crapulas (ut de illis diarrhoeis, quas vitia localia producunt, D. stercoralis.

primum loquamur) frequentior diarrhoeae, quam *stercoralem*, *crapulosam* dixerunt, occasio est. Hac igitur in specie, non ignota morbi causa, oppressio, inflatio, tensio ventriculi, abdominis, anorexia, nausea, ructus nidorosi, vomituritio, interdum ingestae, nec tamen subactae, vomitus materiae, borborygmi, circa umbilici regionem dolores divagantes, intercurrentes, lancinantes, flatus, sulphur accensum olentes; ac tandem, ani ardore, faeces copiosae, pultaceae, liquidae, corruptae, foetidissimae, sublevantes, unam alteramve per diem, — debiles, litteratos, aut senes apud homines per longum nimis tempus, sub insigni virium languore, nec sine omni illorum discrimine, sequuntur.

D. verminosa. *Verminosam diarrhoeam*, praevia vermium symptomata, pituitae, quasi vitreae, copiosa per alvum excretio, tum istius, tum animae foetor specificus, faeces griseae, magis vero corruptorum exuviae vermium, aut vermes ipsi, tum vivi, tum mortui, per intestina secedentes, interdum sanguis purus, vix multus, cum istis vel

sine istis excretus, distinguunt. Pueris haec frequentior quam adultis, diarrhoea est, interim et istos haec *epidemico* subinde imperio, divexat. De *recti* intestini, quam *ascarides pollicares* ac alia excitare consuescunt, *medorrhoea*, alibi (§. 530.) locuti jam sumus.

Biliosae diarrhoeae symptomata, fallacitatis sunt plena. Nec etenim semper, cum, sub oris amarore, anorexia, nauseaque, viridia per alvum praecipitant, bilis abundantia, vel acor, diarrhoeam induxit. In languente infantum, lacte vescentium, ventriculo, acida nonnunquam praedominat bilemque viridi colore tingit, materia. Dentitionis sub opere, quin hepatis secretio vitiata videatur, viridissima est alvus; ipsa animi pathemata, colorem bilis excretae non parum immutant. Est tamen, ubi bilis in fellea vesicula, ob calculum aliasque rationes, detenta diu, ablato demum obstaculo, intestina inundet, suaque tum copia, tum vero acredine, diarrhoeam colicosque dolores inducat. Est, ubi hepar ab ira effreni specifica vel a stimulo quocunque excitatum, bilem majore in copia,

D. Biliosa

vel a sana diversam, secernat. Cum interim ardente sub sirio, diarrhoeas, ex *bile* per calorem atmosphaerae magis *rancescente* plerumque derivaverint pathologi: non satis in leges vitales, quae humores sibi subjectos, a spontanea corruptione tamdiu conservant, — nec satis in ea, quae, ut alibi monuimus, sub ciborum cum oleo frictione, tot gentibus communi, nec certe rancidum olente, contingunt, — nec demum in methodi medendi, his diarrhoeis, ut vocant, biliosis, magis opportunae rationes, satis attenti fuerunt.

D. a drastic. ven. *Diarrhoeam a drasticis, venenis* exortam, dolor ventriculi intestinorumque atrox et has partes quasi perterebrans, cum siti insigni, comitatur. Sequuntur saepe ipsius cholerae symptomata (§. 675.) alvusque varia, et tandem saniosa, vel cruenta, tenesmoidea frequentissime movetur. Obscura interim hujus mali, nisi causa ejusdem satis pateat, vel et chymico eruatur examine, diagnosis esse consuevit.

D. serosa. Vel sola materiae per alvum secedentis indoles, qua faeces modo paucae, solu-

tae, sed laticis aquosi ac tenuis, vix tincti, quamplurimum, quin sphyncter ani tam facile coercere hoc possit, cum impetu, non sine acoris, caloris ad anum sensu, praecipitat, de *serosa diarrhoea* testatur. Plurimi autumno, ubi corpus et aestate, et subinde meridianis caloribus agitatum, subito frigore corripitur, in levitatem, seu quasi *sudores intestinorum*, aut inversam fere transpirationem, qua humor multus, aquae similis exit, etiam pluribus diebus, incidunt. Tormina plerumque, sat acuta, flatuumque exclusionem urgentium fallax sensatio, praecedunt; sequitur et citior, et magis abundans per alvum excretio: quo tempore et cutis augetur siccitas, et urinae parcius fluunt, et sitis increscit, et vultus, vel et corpus universum, forsitan anasarca laborans, citius collabitur. *Coryzae* (§. 508.) persimilis hic morbus, ac ejusdem hinc inde originis, seu verus *intestinorum catarrhus* est: quo, pro magna istorum superficie, ac pro tunicae villosae extensione amplissima, tensionis primum ingratae in abdomine sensatio, alvus quidquam tar-

dior, vel etiam obstructa; mox vero, — copiosioris atque acrioris hic secreti humoris effectu, qua ratione drastica id ipsum remedia efficiunt, tormina, alvique urentis frequens ac liquida depositio sequuntur. *Serosa* videbatur, non erat diarrhoea, quam in presbytero *Ticinensi* observavimus, atque alibi descripsimus *urinalis* magis dicenda: quod lotio, per ulcus vesicae rective intestini, in hoc ipsum fluenti originem debuerit. A paucis interdum granis *calomelas*, aliquot per dies, fortisan ob luem contractum; ingestis, largior, quam blanda vis evacuans remedii potuisset, humoris scilicet serosi, acrioris, ac *salivae* quasi *pancreaticae*, fluxus procreatur.

D. urinalis.

D. mercurialis.

Vel sequatur *serosam*, vel talis ordiatur, *diarrhoea mucosa, pituitosa*: folliculorum, qui copia prorsus insigni intestina, potissimum crassa, viscoso blandoque humore ubique defendant, interdum *localis*, haec morbus est; saepe totius systematis e vitio propullulat. Verisimile est, intestinorum gravedinem, primum eosdem in istis, quos coryza ipsis in na-

D. mucosa.

ribus (§. 508.) — vel quos, in obscoenis, *medorrhoea* urethralis (§. 521.), vaginalis, vel contagiosa (§. 529.) vel insons (§ 532.) tum ani illa (§. 530.) agnoscit, effectus producere. Etsi vero prima morbi illius rudimenta minus certa sint, quam illa *nasalis* catarrhi; plenitudinis tam et hic sensus ingratae percipitur; morbosam intestina sensibilitatem prodere, venter turgere, tendi, flatibus vexari, dolere, tardiusve excernere, tenuiorem primum et acrem calidumve humorem cum nisu expellere, tandem vero *pituitam morbosam*, nunc pellucidam, fere *vitream*, gelatinae instar tremulam, inodoram interdum frigidissimam nunc turbidam magis, subalbidam, aut griseam, puriformem, — nunc flavescentem aut viridescente colore instructam, — nunc striis sanguineis notatam, — nunc parum olentem, nunc foetidissimam, vel minore, vel majore copia, aut frequentius, aut rarius, cum summo interdum dolore, cum symptomatum levamine, haud raro incostante, — nunc acuti, cum locali folliculorum inflammatione stipati, morbi ingressu,

— nunc adfectionis chronicae, interrupto saepe, et cum alvi obstructione non raro alternante, sub ordine, cum virium vitalium et nutritionis decremento, longe quam alibi majore, effundere observatur. Tanta aliquando pituita intestinum, a morte, repletum comparuit, adeoque intestini tumuerunt folliculi: ut digiti tantum crassitiei foramen in illo, ad foeces transmittendas superesset. Fuit adeo, cui crassa pituita ventrem omnino, lethali cum eventu, suppresserit. Debilium, compagis laxae, scrophulosae, catarrhis frequentius obnoxiae, *diarrhoea mucosa* morbus est quidem; sed *epidemico* nonnunquam influxu tum corpus universum aegrotat, febricitat; tum intestina praecipue affecta, fere omnem humorum massam hic in tenacem, amicam vermibus, pituitam convertere videntur.

D. cruent. recens nator.

Diarrhoea cruenta foetus vix utero exclusos interdum corripit, discrimine nunc plena, — nunc, etsi tanta quantitate cruor per alvum excernatur, ut linteamina plane sint sanguine imbuta, minori tamen cum periculo incedens. Ex loco

vasis haemorrhoidalibus superiore hic sanguis, nunc fluidus, nunc vero congrumatus, per intestina descendit: vel solus, vel faecibus, repetitis subinde vicibus, ac plures per hebdomadas alvo, quin dolorem prodat infans, excernendus. Marcor interim ac debilitas hunc morbum comitantur; nec vulgi timor, hunc fluxum lethalem pronunciantis semper vanus est.

Diarrhoea sthenicae, quamvis sat rara, exempla tamen hinc inde, quod de *peripneumonia*, jam notum est (§. 186.), occurrunt, vel ex fluxu menstruorum, haemorrhoidum, lochiorum, per causas irritantes compresso, vel ex congestione sanguinis in vasis gastricis plerumque repetenda. Excitante, diarrhoeam hanc cohibente, sub methodo, febris, nisi quae jam adfuerit, illi superadditur; vel presens augetur; tormina, ventris moles, durities increscunt, ac ipsa demum *enteritis*, cum gangraenae periculo, subnascitur. D. stenica

Aliquam cum diarrhoea mucosa, quae chronica est, affinitatem referre videtur quidem illa, quam *ventriculosam passionem*, *fluxum coeliacum*, veteres, — D. coeliac

recentiores vero *diarrheam lacteam*, *chylosam*, salutarunt. Magna interim, circa morbi hujus indolem; inter omnes contradictio est. Hic etenim, cum liquidi alimenti incocti profluvium, et *dimidiam* quasi *lienteriam*, hunc vocavit; alter, *chymosam*, *chylosam* alvi dejectionem nominavit; tertius, in eo, ventrem nihil reddere, ac ne spiritum quidem transmittere, in ipsius vero ventriculi porta consistere praetendit. Fuit, qui sat frequentem, et infantibus familiarem esse morbum, asseruerit; dum alius, rarissimam hanc, et a paucis conspectam, aegritudinem appellaret; ac tam parcas esse morbi hujus descriptiones succinctas esse moneret: ut vix ratio ex illis, cur non pro *inveterate diarhoeae* specie habeatur, eluceret: abundantes hic alvi dejectiones occurrere plures asserunt; ab alio, paucas modo ad drachmas expulsam ano materiam ascendere refertur. Nec potuit sane, si ex solo foecum aspectu externoque habitu, eandem judicari praetenderint, morbus idem non alius aliusque videri. Nunc etenim, vel uno eodemque in aegro, al-

ba, chyloque, vel cremori lactis similis, — nunc pultis cinerei coloris, inodora materia, nunc cocti ac dissoluti fere hepatis, — nunc argillacea quasi ac subgelatinosa, — nunc diversi coloris, sanguine adeo hinc inde striata, substantia, — quin igitur in morbo ipso, magni quid mutatum esse dici queat, --- per alvum dejicitur.

Nos vero, in eo, *coeliaci fluxus*, a coeteris diarrhoeae chronicae speciebus, differentiam collocamus: quod, etsi ingestorum male subactorum aliquae reliquiae simul hic alvum saepe deserant; non tamen istae, ut in illis alvi profluviis, sed *fex puriformis*, lutulenta, *ab intestinis morbose secreta*, profluvii hujus alvini materiam constituant. Recte sane illis, qui *chymum*, aut *chylum* hoc in morbo intestinis aufugere dixerunt, oppositum fuit: quod, etsi diu aut parum, aut nihil ciborum assumsissent aegroti; non minor tamen albescentis illius materiae per anum his contingat jactura; ac eadem, sine dubio, si alterius coloris, consistentiae, materiae, longe quam ferrent ingesta, co-

piosius ac subliquida ex alvo dejiciantur, objectio valebit. Hinc *tabi* pulmonum pituitosae (§. 513.), *medhorroeae* tum ani, tum uteri insonti (§§. 530. 532), vel magis forsitan *diabeti* (§. 478.) persimilem esse *fluxum coeliacum*, ac *tabem puriformem*, *lutulentam tubi intestinalis* constituere putamus. Quem nempe *fraxinus excelsior*, dum cortex illius ex incisione, vel sponte plorat, succum mellitum, *mannae* sub nomine venientem, — ut renes in diabete saccharinam materiam, secernit: hanc intestina, in *fluxu coeliaco*, varii variique aspectus materiam chemiae sanae adhucdum examiue egentem, morbosa secretione preparare, nec a stomacho recipere, sed ex massa humorum extrahere, perficere videntur.

Nosse vero, monente vetusto jam artis magistro, oportet: quod aliquando, quidem per circuitus malum hoc affligat temporibus quibusdam alvo restitante; quibusdam vero ordinate per horas fluente; aliquando vero incessanter appareat. Comes *mediolanensis* quem ex hoc morbo, jam

per annos durante, tractavimus, pallidi et cachectici coloris senex, saepe per octo, et quindecim per dies, sat bene valere, cibos appetere, videbatur; cum illico, borborygmis praecedentibus copiosis, ventre turgente ac tenso, nec sine aliqua instantis deliquii sensatione, quam plurima ex ventre egereret, pultacea, fluidiora, cinerei vel et albidioris coloris excrementa spumantia, foetidissima. Tabes vero ac lenta febricula hunc morbum, tarde lethalem, comitatae sunt. Felicior sors viri fuit rustici, *Ticinensi* in clinico Instituto a nobis pertractati; ac alterius, sexagenarii, *Vindobonensis*, quos, eodem modo; jam duobus abhinc annis, affectos, integrae sanitati restituimus.

Etsi *lienteriam*, seu levitatem intestinorum, a *fluxu coeliaco* non aliter quam in eo differre a quibusdam defensum sit: quod iste, actionem tubi intestinalis *imminutam*, — illa vero, *abolitam* praesentaret; ex illis tamen, quae de fluxus coeliaci origine statuimus, apparet: quod cum iste, secretionis morbosae magis effectus sit; *lienteria* potius motus tum ventriculi, D. lienteriscea.

tum intestinorum peristaltici vitiose aucti phoenomena exhibeat. Hoc scilicet chronico in morbo, cibi potusque, quales assumti fuerunt, tales fere, quin eorum consistentia et color, aut odor, aut externa quaevis constitutio, vel multum, vel aliquid mutata sint, citra sanguinis aut bilis complexum; cum nutritionis jactura, seu tabe, diu expelluntur intestinis; ac ingesta, ut clari viri verbis utamur, non quia incocta permanent, cito dejiciuntur; sed quia cito dejiciuntur, idcirco nullam habent coctionem. Sat saepe lienteriam praecedit, raro comitatur, fames canina. Sunt, quos, hoc morbo adfectos, anorexia, gravitas ventriculi, nausea, ardor in hypochondriis, et ingens cibi fastidium, subinde ptyalismus, interdum ventris dolor, divexent. *Popularem* saepe esse *lienteriam*, quod magni quondam nominis pathologus asseruit, nos quidem haud vidimus: vix enim, quae post dysenteriam his illis, secundario effectu, contingunt similia, tam generali quidem epitheto sunt digna. Nec porro brevem illum quorundam, ex devoratis, nec per dentes confractis, subactis

leguminibus, pisis, lenticulis, oleribus, particularum crudarum, et inconfectarum, apud sanos etiam, magis vero apud infantes, ac vitae desidis apud homines; secessum, — utpote nec liquidum, nec foetore consueto privatum, nec viribus infestum, *lienteriam* vocabimus. Lienteriam vehementem tertianae febris in modum *periodicam*, in sene nobili, octogenario, *Ticinensi* observavimus, ac peruvianum per corticem cum opio sanavimus.

Aliena quoque ex culpa, intestina profluvium, — quin hic de illo, quod (§§. 612. 613.) tetigimus, loquamur, — succi morbosi, partim non sui, patiuntur. Quasi modo *hepar* hunc funderet, quoties excrementa seroso-cruenta, et aquae, in qua carnes nuper mactatae demersae, ablutae fuissent, similia, vel materia saniosa, ichorosa, cruenta, carnea, bili interdum remista, tractu temporis vero crassa et atra, per alvum secedebant: toties et *fluxum hepaticum*, vel *hepatirroeam*, *hepatis atoniam*, adesse, credidit, ac tali modo correptos, *hepaticos* vocavit, antiquitas. Atqui tamen non magis ex *hepate*, per

Fluxhep. alius

ductum choledochum, vel illius ex ulcere, cum intestinis duodeno, aut colo, praevie concreto, ac in unum ex istis patente, — quam ex *splene*, *pancreate*, *mesenterio*, inflammatis, suppuratis, tum pus, cum sanguine remistum, tum ichor, aut sanies cruenta, effluere, intestina stimulare, alvumque frequentiorem liquidam, dicta jam materia notatam, excitare valebit, quo in casu, hoc malum *fluxus splenici*, *pancreatici*, *mesenterici*, — vel quocunque ex loco stillaverit, illius nomen merebitur.

Expectabitur sane, ut tam diversa puris, ichoris, saniei, intestina alluentis, origo, distincta quoque inter se agnoscat, alibi partim pertactata (§§. 249. 254.) symptomata; nec tamen haec tam certa ubique esse, quin errori sit locus, dixerimus. Altiore loco, et ex matre rachitica, *plica* quondam polonica laborante, progenita virgo, cephalaea pridem insigni, diuturna, epistaxi, erysipelate posthinc faciei; — ab his vero, hepatis dolore dirrissimo, cum febre correpta fuit. Intumuit hoc viscus et lien praegrandem in modum; se-

bris lenta exorta est, hydrops abdominis, oedema pedum, sudor nocturnus, pertinax diarrhoea, cum fame quasi canina, capillorum defluvium, vigiliae continuae, summaque elegantis pridem corporis macies, secuta sunt. Hoc in statu, quinto fere aegritudinis anno, perlongo ex *Rossia*, *Vindobonam* istituto itinere, cadaveris sub habitu, nostrum hic exploravit consilium. Etsi conclamato adeo aegrotantis sub statu, unde hoc capiendum esset, haereremus; recusare illud in totum nolentes, viribus primium vitalibus, cum victu debito aliisque subsidiis, quantum liceoat, prospeximus. Columbo radicis, paucique opii usu diarrhoeam, a sic dictis resolventibus continuo hucusque auctam, ante omnia moderavimus. Hepatis lienisque regionibus praeduris, unguentum ex hydrargyrio caute inunximus; urinarum dein fluxum, digitalis ope purpureae, adauximus; febrem lentam, cum elixirio vitrioli et corticis infuso frigido impugnavimus. Post duos fere menses, tumor viscerum et abdominis, mediam sui ad partem, consederat; febris quampluri-

mum, ut fames morbosa, sudor nocturnus, imminuta erat; pedum oedema disparuerat, rediitque optatur diu somnus. Ab hoc quidem, roseus genis color restitui, corpus universum nutriri, ac vires adeo, ut montem urbi vicinam alacris ascendere potuerit, increscere coeperunt. Sed dolor ad hepar sat magnus, et diarrhoea hinc inde redibant; et quod alvo exibat, illud *puri*, aut lactis cremori, sub nova virium jactura, ac febris sub reditu, erat simillimum. Hepatis interim tumor, hoc ipso sub alvi profluvio, magis subsidere cernebatur. Aquarum in abdomine moles, fluctuatio, multum quidem imminui, sed nunquam disparere sunt visae; urinae, mox turbidae, rarae; mox clarae, citrinae, nec adeo paucae fuerunt. De abscessu in hepate latente, mox clauso, mox aperto, jam diu subintraverat suspicio. Redux in patriam, meliore certe salutis sub statu, virgo, sensibilem in modum florere, pinguescere, amicas frequentare inceperat; cum hiberno sub gelu, dolores ad hepar iterum ingentes, pungentes, mox vero pulsantes redire, jecur magis magisque intu-

mescere, nec attactum perferre, — aquae in abdomine, sub urinis parcissimis, jumentosis, augeri, febris lenta aegram depascere, vomitus hinc inde biliosus accedere, sudoribus nocturnis corpus resolvi, de novo conspicerentur. Alvus nunc saepius, tum indolis purulentae materiam, tum faeces biliosas, viridissimas, saepe atras et liquidas deponere, semper vero hepatis dolorem, tensionem ac molem imminuere coepit. Nunc erisipelatis in facie gravioris duplex eruptio, et tussis aspera accessit; nec tamen febris ab illa imminuta, sed aucta fuit; et pedes et abdomen insigni mole tumebant. Icterus, si album oculorum excipias subflavo colore tinctum, alibi corporis certe nullus. Suscepta nunc, aegrae diu optata, paracenthesis abdominis, sanguinis et fluidi et coagulati per multum, cum lympha, ex aeris attactu mox in gelatinam convertenda, sub extrema virium jactura, dedit. Post mensem, febre, macie perpetuo adauctis, aquis iterum ubique collectis, vomitu, aut potius eructatione frequente, aeruginosa, tandem vero cruenta, copiosa succedente,

atrocibus in ventre doloribus praemissis, tandem suffocatis, diarrhoea vero cessante, tam longis vitae miseriis a morte impositus est finis. Abdomine aperto, cum aquas permultas, ex tanto ejusdem tumore, effluxuras putaremus: sat paucae lentius secutae sunt. Hae scilicet aquae in tela cellulari laxissima, ad intimam peritonaei superficiem, non sine praevia inflammatione, generata stagnabant, nec nisi eadem hinc inde incisa, *hydropem telae cellularis morbosae subperitonealis* sistentes, profluebant. Hic contextus cellulosus, intestina, undique gangraenosa, laxe revinciebat. Lien mole parum auctus, substantiam tamen hepatis, propria firmiorem, offerebat. Hepar, justo majus, convexa sui parte a pseudomembrana densa, albescente, obtectum; superficie vero concava *aureo prorsus colore* ubique splendebat. Idem vero color aureus totius parenchymatis hepatici dissecti, quod substantiam attactu mollem, *spongiae* compressae similem, et quasi maceratam, sed tamen elasticam, referebat, repertus fuit. Vesicula fellea collapsa, bilis parum, et

quidem atrae, continebat. *Nullibi vero abscessus comparuit.* Cavum pectoris utrumque, sanis pulmonibus instructum, aquis copiosis repletum fuit.

Sanies quidem, hoc in exemplo notabili, manifesta per alvum excreta non fuit; sed *chronicae hepatitidis*, de qua et pseudomembrana jecinoris convexi testabatur, — et suppurationis hoc in viscere absolutae, nec ulla defuerunt symptomata. Quae per alvum continuo fluxerunt, ea *puris* certe imaginem offerebant; nec tamen verus, ut dictum est, abscessus hepaticus se obtulit. An intacta tela cellulari hepatis, omnis istius visceris substantia, huic intermedia, tam parum intellecta, abscessus specie singulari, exhausta, — ductus vero hepatici, qui bilem omnem in telam cellularem evomerent, errosi fuerunt? Saepius certe hepar omne subflava colore tinctum reperimus; sed *aureum* illum colorem, quam *cystica* modo bilis largiri posse videretur, parenchymatis scilicet hepatici, ac hoc ipsum in substantiam, quam descripsimus, spongiosam, nec tamen collapsam, conversum, in millenis cadaveri-

bus nec unquam videre nobis contigit; nec ab aliis adnotatum percepimus.

Fl. hep. intermit.

Sed non semper hoc in fluxu hepatico, aut alio *ulcerosam* viscerum substantiam in causa esse, patet tum ex eo, quod in aegris *scorbuto* correptis; ille hinc inde occurrat; tum ex illo, quod ipsa *febris intermittens perniciosa* sub *fluxus hepatici* imagine, per corticem peruvianum delenda subinde comparuerit. Nec febris fluxum omnem hepaticum, nisi jamjam provectum, nec cibi hauriendi desiderium ubique comitatur.

Causae.

§. 684. Quae *sano* in homine fibras ventriculi, intestinorum, ut inferiora versus per vices se contrahant, impellunt; — quae sanguine ad vasa gastrica vel alliciunt, vel cogunt, — quae organa secernentia, quae ex cruore his advecto, humorem sibi proprium praeparent, ac vaporis, muci, bilis sub forma, effundant, disponunt; — quae collectos hic loci succos, quin fere crudos sese in sanguinis torrentem praecipitent, — ac foecales materias, quin aequo promptius, aut lentius

descendant, impediunt: — ea *excretionis alvinae*, aetati, sexui, temperamento cuivis praescriptae, rationes in se continent.

Quae vero ventriculi, intestinorum sensibilitatem, irritabilitatem intendunt; aut, quod *aphtae deciduae* faciunt, internam superficiem decorticant; aut aequo magis has partes vel ipsas, vel consensu majore sibi affines, e longinquo exstimulant: ea non modo actiones illarum, secretiones omnis generis, sollicitant, adaugent; sed has ultimas quoque *pervertunt*, ac primae causae stimulanti, ut novum stimulum superaddunt. Scilicet ut oculi a cepis a fumo; — sic intestina a fructibus horraeis, a fungis, cucumeribus, melonibus, a cibis fermentantibus, contraris, pinguibus, semicorruptis ingestis, aut a potu copioso nimis dilutis, ab acri, a vermibus, saburris, a bile, succo pancreatico aut copia aut indole peccantibus, ab ipsis adstringentibus, vel quovis a stimulo, maxime specifico (nisi summo, utpote qui secretiones magis suspendit ac supprimit) forsitan et a contagio, a congestione sanguinis, vellicata lacrymantur, ac profluvii alvini materias;

nunc sero, nunc glutine muscoso, puriformi, nunc vero acido, bilioso, vel etiam sanioso principio ditiores, et illis, quae proprio in cavo stagnarunt, remistas, effundunt.

An praeter has causas, *secretio faecalis materiae*, quin ciborum reliquiae hanc dederint, *ex sanguine* in tubum intestinalem contingit? . . . Physiologi hoc videant. Scilicet quod in *foetu*, novem per menses jejuno, colligitur, *meconium*, — quae in morbis diuturnis, quin (liquidis exceptis) ulla alimenta multa a tempore coepissent, ab aegris, jam saepe nimis exhaustis, interdum copiose alvo redduntur; suspicionem nobis movent; et cum *lotium* renes nunc clarum, nunc turbidum praeparant, — cum ipsa vasa cutanea *sudorem* impurum ad pellem exhalant; cur intestina homorem *lutulentum*, faeces specificas depositurum, non *secernerent*, et vel solum, vel ciborum subactorum reliquiis intermistum non emoverent?

Saepe fluxus alvinus, serosus nempe, aut mucosus, ut diximus, inversa modo, ex refrigerio externorum, ex terrore, tran-

spiratio, sudor, vel et catarrhus, rheuma intestinorum est. Vel iniqua, ex cute resorpta, exanthematum, *variolarum*, *morbillorum* imprimis, impetiginum variarum ulcerum, vel ex viscerum vicinorum latente abscessu intestinis advecta materia, simile, vel etiam puriforme, purulentum, saniosum ex illis provocat profluvium. Vel ipsum, ex ulcere vesicae in rectum intestinum patente, effluens lotium, diarrhoeam excitavit urinalem (§. 683.). Nunc sola fibrarum intestinalium *laxitas*, diarrhoeae, ut causa, subjaceat? — ideo, quod, nisi morbosa simul sensibilitas eidem praesideat, vix uberior abhinc secretio expectanda sit, dubitamus; ac in ipsa vesicae et ani paralysi, urinae quidem faecumque fugam, — haud vero secretionis augmentum, aut indolem secreti humoris mutatam observamus. Etsi vero glandularum mesenterii infarctus post chronicas diarrhoeas in cadaveribus hinc inde fuerit repertus; vix tamen ille solus, quod chili vias praecludat, cum tam saepe major ac summa illarum obstructio diarrhoeam pro effectu non agnoscat, istius culpam, — nisi re-

dens ichor ex illis supuratis intestina vicina penetraverit, — habebit.

Certe vero universi magis systematis, quam propria, locali adfectione, intestina rapiuntur in, quaecunque demum, profluvia; et cum talis assertio per morbos asthenicos diversae indolis, toties a diarrhoea viribus vitalibus iniqua jam abunde confirmetur: majus adhuc eidem argumentum ex *febris intermittentis* diarrhoeae, cholericae, ac similis naturae ex fluxu hepatico (§. 683.), accedit. Ipso dentitionis sub opere, sub peripneumonia, in peritonitide puerperarum, ac in ipsa metritide, saepissime, nunc utilis, nunc perniciosa, nec sine habito principalem ad morbum respectu sananda, diarrhoea excitatur: frequens diarrhoeae, imprimis chronicae, causa in praegressa *dysenteria* (§. 688.) quaerenda est: non quod veterum opinio, acsi *intestinorum cicatrices*, ex illa pedissequae, hoc profluvium producerent, fundata sit; sed quod summa tubi alimentarii ex fluxu dysenterico debilitas, sensibilitas in morbosas secretiones tam prona, et longiori ciborum retentioni tam contraria, diu super sit.

Quid *cruentam recens natorum diarrhoeam* producat, non satis id patet; nec quae dubia haec solverit, infantilis hoc morbo enecti sectio cadaveris nobis hucusque innotuit. Vasis intestinalis varicem connatam huic phoenomeno subesse, modo suspicamur.

Quid de *lienteriae*, de *fluxus coeliaci hepatici* causis sentiendum sit, sub ipsa horum profluviorum descriptione (§. 683. partim jam innuimus. Minus adaequate veteres sola intestina, et istorum praecipue *levitatem* justo majorem, *lienteriae* ut causam, accusarunt. Ipse nempe ventriculus, — etsi tanta *pylori relaxatione*, hoc in morbo quondam, sed et sine isto, reperta, haud opus sit, non minus hic quam intestina, afficitur; ac praematuro in haec ciborum, nec dum subactorum descensui favet: ita ut vis expellens, irritabilitati istius morbosae, ac stimuli, etiam mitioris, impatientiae innixa, universo hoc in tubo superabundet. *Fluxui coeliaco*, prout jam indicavimus, secretionem morbosam, specificam, ab illa, quae *diabetem*, inducit, non longe diversam, nec tamen ideo

hac ipsa magis intellectam, sublatere opinamur. *Fluxus hepatici*, aut similis, rationes, in jecinoris, aut alterius in visceris *abscessu* in ipsa intestina patente, derivavimus quidem; ast vero saniosum, subcruentum humorem, sine ulcere interdum posse *secerni*, intermittens et *periodica* hujus fluxus natura jam satis manifestat.

Prognosis. §. 685. Diarrhoea pro magna sui parte *symptomatica* est: hinc *prognosis* ejusdem, ex morbis, quibus jungitur, non minus, quam ex ea ipsa, quae hos facile aut exasperat, aut, ex adverso, imminuit, petenda, et aliis hujus operis e locis eruenda erit. In genere, si, quae evacuari oportet, evacuentur, bonum est, et quae cum constante satis levamine fluunt, salutaria sunt. Etsi vero tum color, tum foetor eorum, quae alvo redduntur, ut saepe jam monuimus, non satis certum de morbi causa judicium ferri sinant; nullum tamen alvi profluvium est, in quo excretorum inspectio, — non tam sola, quam aliis diagnosis atque prognosis subsidiis juncta, ad has conferre non possit,

ac debeat. Quae praeter conscientiam adultis fluit alvus: ea vel de praesente delirio, vel de extrema virium jactura testatur. Si, fluente licet alvo, meteorismus accedat, aut praevius augeatur, malum est; pejus vero, ubi singultus aut vomitus simul aegrum divexant. Quae morbis diuturnis, atrophiae, tabi, hydropi, scorbuto, etc. supervenit, rebellis diarrhoea, lethalis est. Benignos certe diarrhoea effectus agnoscit, quoties ingluvies et crapula primas vias, cibis quibus hae subigendis sunt ineptae, opplevit; aut quoties vermes copiosi, alia corrupta materia, vel ex viscere vicino, vel ex toto systemate, has alluit, ac tumida hypochondria ex hinc subsidere, fonctionumque in isto libertas redire cernuntur. Hinc morbi chronici diversi ac difficiles, exemplo arthritidi, epilepsiae, melancholiae, maniae, paralysis, hydropis, surditatis, febrium periodicarum rebellium, obstructionum antiquarum, suborta diarrhoea fugantur interdum; saepius ex eadem praeceps augmentum assumunt. Diarrhoeae scilicet protractae, aut nimis abundantes, nutritiones opus omne prae-

scindunt, sua corpus substantia exhauriunt, tabem, leucophlegmatiam, oedema pedum, ac lethalem tandem hydropem inducunt. Flatus sub diarrhoea rebelli diu retenti, nunc per alvum exeuntes, sonori, vires intestinis vitales redire testantur. Diuturnum alvi profluvium, superaccedente vomitu spontaneo, subinde conquiescit; saepius, adjunctis simul torminibus ac febre, alvo nunc clausa, gangraenam instantem praenunciat.

Lienteriae. Facile ex istis, quae *lienteriae* sit *prognosis*, elucet. Aestate consistente, vel sub autumno, praegressae disenteriae ratione, illa magis occurrit. Senibus plerumque lethalis, pueris, junioribus, minus perniciosa est. Quae febris indolem, periodicae legitimae assumit: ea, cito satis hac recognita, medelam admittit. Quo vero diu noctuque magis assidua est, quo diutius, sub siti paucisque urinis, sub ciborum appetitu prorsus abolito, ac oris cavo ab aphthis obsesso, perseverat, et quo graviores morbos consequitur: eo magis exitialis erit. Respiratio difficilis dolorque lateris, vicinam aegro hoc fluxu la-

boranti tabem praedicunt. Lientericos tandem tumescere, haud rarum est. Ascitidem, ventris tormina ac vermium, egestio, quod ultimum tam tarde hic fieri nos ipsi non vidimus, interdum praecedunt.

Quodsi *fluxus coeliacus* nihil praeter *dimidiam*, ut multi voluerunt, *lienteriam* foret: sequeretur exinde, dimidia quoque illi, istius esse pericula; sed aliam primo ex dictis profluvio, ac *diabeti* non absimilem, esse indolem, non sine magnis argumentis suspicati sumus (§. 683.) et sic majora eidem, quam ipsi *lienteriae*, discrimina jamjam attribuimus. Interdum quidem fluxus coeliacus aegros trahit, sed alios subinde praecipitat. Saepius hic morbus absque causa manifesta desiisse videtur; sed leviori ex vitio jam denuo revertitur, ac tandem, maxime in senibus, in tabem, anasarca, ipsamque in mortem ruit. Fl. coeliaci.

Fluxus hepatici discrimina non minus ex ipsa hujus morbi descriptione (§. 683.) jam satis petent. Affinitatis quidem iste, cum *melaena* (§. 613.) interdum non Fl. hepatici.

parum habere videtur; sed causarum et symptomatum ratio, quam, praeter fluxum cruentum, uterque morbus agnosit (§. 613. 614. 683. 684.) ac diluti magis, et quasi saniosi, in fluxu hepatico, profluvii cruenti conditio, — etsi et in hoc, morbi sub fine, sanguis multus praecipitare ex ano possit, diagnosin prognosinque conducent. Vidimus et nos *divi senis* effatum; " quod, secundum jecur, aut lienem suppurati, si pus album exiverit, servantur ", confirmari: scilicet ubi febris demum et ipse ille fluxus brevi tempore conquieverint. Amurcam quasi olei excerni, lethale est; nec melior sors illorum, qui ichorosa, livida, aut nigra, rebelli ac pertinaci fluxu deponunt, continuo febricitant, ac tabe indies adaucta, cruribus ventreque intumescunt, dicenda erit.

Cura D. §. 686. Qui ad causas hujus morbi (§. 684.) respexerit: is nec quodvis alvi profluvium illico sistendum, — nec cujusvis diarrhoeae sanandae rationem hoc loco quaerendam esse intelliget.

Gastrices. Quotiescunque scilicet vellicans intesti-

num materia, *saburra*, *vermes*, *venenum*, *drastica* remedia, humor alibi morbose secretus, vel retentus, ac totius cum beneficio huc alluens per ipsam, quam movent, diarrhoeam excuti jam possunt: toties non adeo sistendi, quam potius fovendi, vel, si pigrius materiae moveantur, etiam promovendi alvifluxus indicatio subintrat. In ea igitur diarrhoea, quam crapula, saburrarum collectio, vermes corrupti, bilis copia vel indole peccans, producunt: praeter infusum tenue florum chamomillae, aut herbae Theae, nihil, — aut illud adeo radicis rhei, quod causam diarrhoeae certius eliminet, praescribimus. Excitatus cum radice ippecacuanhae vomitus, si constans nausea, vomituritio, ructus nidorosi, superiora versus turgere materias docuerint: istarum ad intestina descensum, ac taediosam nimis exinde diarrhoeam, citius praescindet.

In bilis abundantioris, acrioris ad intestina confluxu, serum lactis, decoctum tamarindorum, fructus horrei maturi, parvae cremoris tartari doses, agent. Si talia profundius intestina irritare videantur: Bibliosae.

clyster ex aqua, vel sola, vel oxymelli juncta, ex sero lactis, conducet.

Adrastic. venen. Quam *drastica*, *venena* induxerunt, diarrhoeam, in primo casu, oleosa, emulsio arabica, lac tepidum, tam ore, quam ano, sat copiose ingesta, — in secundo vero celerrima veneni rejectio, vel, cognita ejusdem indole, antidota ex toxicologia repetenda, non aequali semper hic fortuna, fraenabunt.

Serosae. Cum suppressa cutis universae, vel pedum consueta transpiratio, intestinorum illam adauxerit, ac *serosam* diarrhoeam excitaverit: quae illam restituant, praeter lecti teporem, vel pediluvium, infusum sambuci, pulvis *doweri* conducunt. Emulsio arabica, opii cum grano juncta, vel aequa theriacae portio in sambuci infuso hausta, nimium hunc et intestina torquentem fluxum compescent.

Dentitionis ex opere succedens diarrhoea, nisi nimia, illius plerumque sublevia symptomata. Sub fortiore, quam par est, alvi fluxu, gingivarum, ut alibi docebimus, habenda ratio, atque ad syrupum diacodii, aut ad leves opii portiones,

emulsioni arabicae commistas, recurrendum est. Diarrhoeam ex uxu mercurii oriundam, istius missio, potus demulcens, semicupium tepidum, fomentatio similis abdominis, vel et hepatis sulphuris solutio froenabunt.

Ad *mucosam* diarrhoeam quod pertinet: ea, si *catarrhi* intestinorum effectus est; non alio certe modo, quam *serosum*, similis originis, alvi profluvium pertractanda venit. Saepius tamen diarrhoea mucosa, febris epidemicae, *lentae* imprimis *nervosae*, *pituitosae*, ut vocant (§. 101.), non semper contagii insontis, symptoma sistit, ad leges contra hanc ipsam praescriptas pertractandum. Radicis arnicae hoc in casu virtutem modo hic tangimus, iterumque monemus: non in mechanica quasi solutione, evacuationeque tenacis pituite, sed in recto causae, quae secretionem istius morbosam inducit, moderamine, morbi curam esse ponendam. Mucosae.

Eodem modo, si *vermes* intestinorum folliculos mucosos, quo pituitam copiosius vomant, excitaverint: non haec ipsa adeo, quam illi, curae objectum, alibi a nobis exponendum, constituunt. Verminosae.

Cruentae rec. nat. Quid in *diarrhoea recens natorum cruenta* indicetur auxilii: id, nisi ex generali haemorrhagiarum tractandarum theoria (§. 586.) desumamus, ob causae hujus mali obscuritatem (§. 684.), majore scilicet in hoc experientia destituti, edicere vix audemus. Radicis rhei, vel corticis cascarillae infusum aquosum, — sub majore sanguinis jactura, cum grano uno vel altero aluminis in eodem soluti, et cum syrupo cinnamomi, saltem proponimus.

Sthenicae *Diarrhoea sthenica* causas, a quibus pendet, vel sola tandem tollit ipsa; hinc minime vel cum opio, vel cum adstringente remedio sistenda est. Si vero lentius, cum torminibus acutis, vel cum febre incedat: praeter victum tenuem potumque frigidiusculum, hirudines, prout vel haemorrhoidum, vel menstruorum, vel lochiorum fluxus per causas excitantes suppressus, et sanguinis in vasorum gastricorum systemate congestio facta sint, vel ano, vel perinaeo apponendae; aut, ubi symptomata inflammatoria urgent, ut in ipsa enteritide (§. 344.), venae secandae sunt.

Diarrhoeae chronicae rite pertractandae ratio praecipue huc spectat, etsi fateri oporteat, ob causas hujus profluvii saepe vel nimis absconditas, vel cum exiguo successu oppugnandas, incertitudinis ac difficultatis quamplurimum nos premere. Nullibi nempe major est in morbis gravioribus remediorum, quam in quibus insignis istorum copia venditari solet, penuria. Divitias extollit vel rerum exercitio destituta juventus, vel ausi magis, quam scientiae ac sinceritatis amica, plebs medica; senectus, fronte cicatricibus non minus ac lauri foliis cincta, ne imperfectae obsit incremento scientiae, veritatem, in qua sola gloriari fas est, cur reticeat, non habet. Chronicae.

Quae profluvia alvina lentius decurrunt atque hominem consumunt, ea, pro maxima parte vel ex sola ventriculi, intestinorum atonia et morbosa sensibilitate, vel ex universi systematis adynamia simul his juncta, oriunda (§. 684), excitantem sibi methodum omnino, sed cautam, ne, quae primo contactu intestinalem in tubum agunt, remedia, hunc nimis exstimulent,

requiunt. Ippecacuanhae igitur radicis pulvis ad granum unum alterumve, omni bihorio, cum elaeosaccharo macis, adulto aegro, porrectus, quod non minus intestina excitare, quam motum eorum peristalticum paullo invertere valeat, apprime conducet. Ipse adeo vomitus hoc per remedium, si vires admitterent, excitatus, aliquando fuit utilis; ac rebellis diarrhoea, a suscepto itinere maritimo, quo stomachus non paucis subvertitur, hinc inde sanatur. Si media sub diarrhoea sordes intestinis novae collectae fuerint: pulvis radicis rhei, cujus interim non a sola evacuatione virtus circumscribitur, sub curae principio, vel solus, pauca dosi, vel amaris commistus, illis, quae alvum contineant, praemitti potest. A lenioribus dein hujus indolis remediis, ad magis efficacia ascendendum est. Radicis columbo pulvis, ad scrupulum, ter quaterve in die porrecta, optatos nobis effectus sat saepe praestitisse conspecta est. Radix arnicae, singulo bihorio aut trihorio, a drachma dimidia ad integram in pulvere porrecta, in diarrhoea sub typho symptomatica laudes

non vanas sibi promeruit. Semen etiam plantaginis veteribus non incolitum, usu medico non prorsus excludendum est. Praeterea cortex simarubae, cascarillae, nucis juglandis, glandes quercinae, lignum campechinum, decocti sub forma porrecta, huc pertinent. Aluminis ruppei granum unum vel alterum, cum gummi mimosa aliquoties in die porrectum, gummi kino, aliis proficiunt Tormentillae radicem, *fabam*, ut vocant, *pichurim*, ab aliis laudatam, nos in usum non vocavimus. Raro cortex peruvianus hoc in profluvio nobis profuit. Si tamen id ipsum *intermittentis* indolem *febris* assumat sacram omnino ille anchoram constituet. Opium vero vel dictis remediis junctum, vel sola emulsione arabica susceptum, virtutem illorum adauget, vel et sola theriaca sufficit. Pulvis *dovveri*, ad granum unum vel alterum, quovis bihorio, porrectus, pertinacem hinc inde sedat alvum. Diarrhoeam sub typho singulis rebellem, cum clystere ex vino injecto sanavimus. Enemata quoque alia, vel amylo ac opio nupta, hinc inde profluvium sistunt.

Quodsi rheuma, podagra, herpes, vel alia impetigo, externa corporis parte derelicta, intestinis vim fecerit: vesicans emplastrum loco pridem affecto impositum, semicupia tepida, convenient. Non vano consilio antiquitas, cum acria intestinis incumbentia pro causa morbi agnovisset, lactis recenter mulsi potum commendavit; aqua calcis vero huic superaddita virtutem remedii, recentiorum in manibus auxit. Cauteria adeo veteres ac recentioris quoque Aegypti medici, pertinacis diarrhoeae sub cura, si adhaerens intestinis acrimonia in suspicionem venisset, ventri apposuerunt, diuque locum, vel exustum, vel per pharmaca exulceratum suppurari jusserunt.

Quodsi glandularum in mesenterio infarctus et obstructio profluvium alvi chronicum non modo comitari, sed -- quod rarius continget (§. 684), producere videretur: remedia, quae illis, ut alibi docebimus, solvendis conveniant, forent praescribenda. Veremur interim, ne vias, quae *chylo* ipsi clausae sint, medicamenta facilius legant; ac certe solventia sic dicta re-

media, nisi erigentium, morbi causae oppositorum, ex classe petantur, alvum jam nimis laxam, cum damno aegri laxiorem reddent.

Convalescentibus, tinctura corticis peruviani, chalybeata, aquae martiales cum lacte asinino, equitatio, erunt proficua. In genere vero, quod alibi jam fecimus, monendum hic est: *adstringentia* sic dicta remedia majore pondere porrecta, *haud* raro alvum non tam sistere, quam potius augere. Quaecunque vero adhiberi hic morbi voluerint, nisi ventrem simul pedesque a frigore foveamus, sat raro illa proficiunt. Nec minus vel optima remedia non ob aliam rationem toties incassum adhibentur: quam quod aegri, in morbo tam tedioso, ac tam facile redituro, regiminis strictioris impatientes vix quidquam sublevati, monitis medicorum recalcitrent, ac vel in victu, vel in potu, vel aliis in rebus iterum iterumque delinquant. Hinc summa in selectu ciborum ac sobrietatis in legibus observandis cura diu, et morbo adeo jam, ut videtur, devicto, ponenda est. Fructus horrei, olera, potusque

in fermentationem proni, pingues stomachoque graves, cane pejus et angue fugiantur, panis vero biscoctus, carnes tenerae, assatae potissimum, ova recentia, parca manu, sed saepius offerantur oportet. Potus copiosus, cibos per intestina citius praecipitat: hinc paucus hic esto, vel ex aqua, melius destillata, cui tosta panis crusta et corticis cinnamomi integri portio commissa fuerit, vel, quibus id rerum inopia non vetat, ex vino generoso, non acido, utpote vel cyprino, vel malacense, vel *capense* sic dicto, vel *madera sicco*, ut vocant, vel *tintilio di rota*, etc.

Flux coeliac. lient. Non alia, quam quae a nobis ad diarrhoeam adynamicam medendi methodus laudatur ad *lienteriam* et ad *fluxum coeliacum* commendari meretur. De omni quoque diarrhoea chronica, habituali, valet consilium summi scriptoris de medicina latini: " cum in omni fluore ventris, tum in lienteria praecipue necessarium est, ut haec ipsa mora in consuetudinem ferendi oneris intestina deducat ". Quodsi *fluxus coeliacus*, cum *diabete* analogiam agnosceret, quam de hac non minus,

quam de variis secretionibus mucoso puriformibus, lente atque cum tabe incedentibus suspicati jam sumus (ut cui objecto per certiora experimenta ulterius investigando praemium ab *Imperiali Academia Vilnensi* nuper publice constitutum fuit) tunc victui animali, ut recentiores in *diabete* curando experientiae, et alios, et nos ipsos docuerunt, -- licet eundem supra suaserimus, prorsus foret renunciandum. Senis, *lienteria* omnibus rebelli laborantis exemplum in fastis medicis extat; cui electuarium ex conservae rosarum rubrarum antiquae, sex unciis, ex theriacae optimae sex drachmis, cum myra cydoniorum confectum, et ad unciam dimidiam, nihil superbibendo, exhibitum, sanitatem restituit.

Etsi vero *sola ratio*, in profluvio alvi provecto, ac sub virium ab eodem inducta majore jactura, usui evacuantium fortiorum prorsus contranitti videatur: ea tamen qua in *experientiam*, ut rerum magistram ferimur, reverentia, ne casum, *Taurini*, octodecim abhinc annis a nobis observatum reticeamus, nos cogit. Vir

An drastica?

scilicet quadragenarius, ab annis jam aliquot diarrhoea laboraverat, omnibus medicorum illius metropolis celebriorum tentaminibus rebelli. Ab egregio tunc temporis instituti clinici *Taurinensis* professore, qui curam aegri jam diu gesserat, mox a nostro in hanc urbem adventu, in consilium vocati, prognosi, ob tabem summam febremque lentam, et alia pejoris notae signa, vix non certe exitiali instituta, aliqua adhuc, a nobis quondam in aliis proficua visa, proposuimus; sed et ista spem paucam omnino fefellerunt auxilia: cum accedens posthinc agyrta, sanitatem, ut solent, certam promiserit: et hunc in finem *drasticum*, nec tamen cognitum aliis, pulverem exhibuerit. Ad orci fauces hic, alvum enormi effectu movendo, aegrum perduxit; — sed quoque, morbo prorsus abinde devicto, remedium audax eripuit. An *vitrum ceratum antimonii*, in dysenteria quondam a multis laudatum, nec tamen semper in suis effectibus tam vehemens, huic subfuit? — An drastica remedia, *cereolorum*, quos urethrae in chronica medorrhoea,

atque hanc in acutam, breviore temporis spatio cessaturam, convertimus, adinstar, intestinorum in tunicam villosam agunt, et morbosam secretionem aut invertunt, aut sistunt? — Sed quis unicum, etsi felix, illico pro norma exemplum prudens arripiet? aut quis, sub tanta virium imbecillitate gradum stimuli majoris, qui sanitatem restituat, non mortem acceleret, inducat, definiet?

Veterum de fluxus hepatici tum indoletum causis doctrinam vacillare jam diximus: (§§. 684. 685.) sequitur, nec methodum medendi, antiquae hypothesi innixam, esse firmiorem. Etsi vero et nostrum de hoc morbo judicium vix in omnibus satisfaciat; ex eo tamen, quod nec *hepar solum* morbi sedem constituere, nec semper visceris, cujuscunque demum, abscessum aut ulcus hic subesse, et materiam illam saniei similem largiri, — nec abdominis adeo, quam totius systematis culpa interdum hanc fluere, noscamus: magnum arti salutari incrementum accessit.

Scilicet ubi vel hepatis, vel splenis, aut

visceris alterius abscessus vel ulcus hujus profluvii causam in se continet: hoc misero rerum sub statu, ad ea, quae de viscerum abdominalium suppuratione pertractanda, in *libro de inflammationibus*, partim jam diximus, — tum ad illa, quae alibi de *phthisi*, ejusque moderandis effectibus docenda supersunt, recurrendum, et ne purulento, sanioso, et internis partibus insidioso humori via per alvum praecludatur, curandum est.

Si, ut in coeteris alvi fluxibus alia aliaque per alvum excernuntur, ita hujus morbi sub aspectu, secretio saniosa, ulceris latentis adinstar, alvum solvat: tunc eadem, quam ad diarrhoeam jam supra indicavimus, medendi methodus requiritur.

Si vero hic morbus legitimae *intermittentis* subjugetur imperio: tunc ea, quae de hujus curatione jam satis exsposuimus, erunt illi opponenda.

ORD. IV. GEN. V.

DYSENTERIA.

§. 687. Ad morbi atrocis multasque strages humano generi quotannis parantis, *dysenteriae* nimirum, seu *difficultatis intestinorum*, historiam tandem accedimus. A *profluviis* quidem istam, — quod alvus in eadem *suppressa* magis, quam profusa esset, separare conatus est clarus *scotiae* nosologus; interim non omnis dysenteria, sub invasione, alvum tam parcam, ac sub morbi incremento, agnoscit (§. 690.) apud multos in *chronicam diarrhoeam* illa convertitur (§. 684.); nec certe paucum illud, quod intestinis cum tenesmo Transitio.

continuo hic exprimitur, a profluvio magis, quam catarrhus (§. 505.), abludit.

Definitio. §. 688. Est vero *dysenteria*, corporis totius febrilis adfectio, in intestina, maxime crassa, furiens, aestatis sub fine, in serum autumnum, satis raro maturius, epidemica, — interdum sporadica, cum torminibus, continuo ad alvum deponendam, sed inani fere, stimulo, et puriformis, saepe cruentae, materiae, ex recto intestino, frequenter plus minus inflammato, sub diro tenesmo, defluxu.

Divisio. §. 689. Non omnis igitur dysenteria, singula haec signa (§. 688.) prae se fert; sed plurima illi, tum ex *febre*, cujus modo symptoma constituit, *sthenica* nempe, vel asthenica, eaque vel *continua* vel *intermittente*, — vel *simplici*, vel cum vermibus, saburra, interdum cum visceris alicujus phlogosi *complicata*, differentia accedit. Nec *acuti* semper morbi, sed et *chronici*, plures per menses extensi, formam dysenteria interdum assumit.

Quam morbi hujus divisionem a *colore*

materiae per alvum excretae diverso, nunc *albo*, nunc *rubro*, petierunt: non magno illa in arte vel cum lucro suscepta fuit.

§. 690. Prima morbi hujus invasio, ab illa, *diarrhoeae* (§. 683), epidemice haud raro *dysenteriam* praecedentis, sequentis, non semper abludit. Saepe nempe cum horrore, interdum cum frigore sat notabili, et per horas adeo extenso, haec incipit; ponderis ad ventriculum ingrata sensatio, oris amarities, nausea, vomituritio, lassitudo, tormina circa umbilici regionem, — alvum (apud plures, per dies adhuc aliquot satis copiosam, aspectu biliosam) anunciantia, quin tenesmus apud omnes tam cito se prodat, succedunt; calor corporis cum pulsuum frequentia, siti, augetur, donec faecum omnis supprimatur evacuatio, et pauciora quidem adhuc liquida, sed cum nisu majore, cum diris ac frequentius frequentiusque redeuntibus torminibus, mira vultus contorsione vix non semper indicatis, cum ardore, dolore, tenesmo ad anum, — tandem vero, praeter materiam mucoso-pu- Symptomata.

riformem, nunc albescentem, nunc sanguineam, nunc autem viridem, perpaucam, specifico fere odore foetentem, perparum exprimatur. Quibusdam, praecipue vero pueris, ob dejectionum frequentiam, et nixus vehementiam alvus ipsa, foedo sane spectaculo, iterum iterumque prolabitur, ac, nisi promptius reposita, strangulatur et cito gangraenescit. Tantum vero ad gradum doloris in abdomine vehementia apud hos vel illos evehitur: ut ab eo non minus ac in *colica saturnina*, brachii aut pedis unius vel alterius paralysis sequatur.

Sat multos interim apud aegros, modo longe diverso haec se habent: nullus saepe horror, aut calor morbosus hos a morbi principio divexat; ciborum adeo non in omnibus deletur desiderium; pulsuum vix manifesta apud alios frequentia occurrit: quo factum esse censemus, quod plures scriptores *febrim* inter characteres *dysenteriae* necessarios (utpote in alia, quae illam saltem adultiorem, confirment, morbi symptomata, in lassitudinem, morositatem, cutis siccitatem, sitim, in urinae

inutationes, in ea, quae sub fine, vel ipsis in arteriis, succedunt, — cum tamen vel ipsa in febre nervosa (§. 87.) non absimilis interdum sit rerum conditio, haud satis attenti) admittere recusaverint. Quod vero magis adhuc febrilem dysenteriae naturam comprobat, est: quod morbus hic certas fere per horas aliquomodo remittat, vespertino autem, vel noctis tempore, quo febriles accessiones exacerbari consueverunt, magis furiat. Non paucos aegrotos et nos observavimus, quos jam prima morbi die, vel altera, praeter tormina, inanis alvum deponendi conatus, ac vehemens *tenesmus*, ut princeps illius phoenomenon, corripuerint. Sunt quibus nec faeces, nec humor puriformis, vel solus, vel sanguini remistus, sed *merus cruor*, interdum sat multus, — quin semper igitur res pejus incedat, — quid quod cum bono aliquando istius, in robustis, cum successu, per alvum excernatur. Dysenteria epidemica observata fuit, in qua aliquot pueri, viri, mulieres, ab ipso invasionis momento ne de minimo quidem dolore conquerebantur; sanguinolenta ta-

men confestim egerebant. Aegri alii torminibus, hi vero nullis torquebantur; et licet viderentur hi mitius aegrotare citiusque evasuri: omnes tamen sorte eadem peribant. Quomodocunque vero haec, morbi primo sub stadio, se habeant, sat cito tamen febris eidem, vel propriae, vel epidemicae constitutionis jure, dominantis character se manifestat.

D. sthenicae. Ac primo quidem, fortiores habitu, cujuscunque demum aetatis aut sexus, homines, — vel jubente sic regnantis morbi genio, minus etiam robusti, mox a febre violenta, continua, frigore nempe magis conspicuo, calore magno, ac pulsu frequente, sub initio saltem pleno et magno, post hinc vero contracto et duro, — maxime autem a saevis torminibus, hinc inde cedere aut cessare visis, mox vero cum augmento redituris; uni fere loco abdominis infixis, mox omnem super ventrem dispersis, invanduntur. Urgente sic istius, attactum recusantis, non raro duri, dolore, vomendi conatus, vel adeo, ut in ipsa *enteritide* (§. 240.), vomitus succedunt. Interea vehemens in recto intesti-

no, ac ad ipsum adeo perinaeum, vel urethrae canalem, ardor, tenesmus, dysuria, stranguria, cum pauco et flammeo, vel aquoso prorsus lotio, lumborum, coxarum dolor, miserum divexant. Hic morbi, celeriore ingressu incedentis, est, quo, aut ex vasis haemorrhoidalibus distillans, aut ex villosa intestini tunica, saepe, apud infantes praecipue ac juvenes, per ani sphyncterem prolapsa, strangulata, tumente, morbose secretus sanguis, copiose satis prosiliens, symptomata imminuat; ubi cruor vena detractus imprimis corium densum, atque concavam, in insulam contractum mox offerat; ubi methodus medendi excitans, potus spirituosi, remedia, ut vocant, *antidysenterica*, seu adstringentia, stiptica, opiata, exemplo morbum adaugeant, ac alvum per dies quidem sistant; sed ventris cruciatus mirum accendant, tumorem, duritiem, ac instantis intestinorum, in dysenteriis lethalibus frequenti, ad *rectum*, prae aliis, malo (§. 243.), *gangraenae* pericula vel maxime intendant. Sub hac rerum conditione, lingua aridissima, pulsus contracti, celerri- Gangraena.

mi, inaequales, singultus, vomitus, ac, alvo demum involuntaria, cadaverosa non obstante, meteorismus, frigus extremitatum, sudor algidus cum aestu internorum, lipothymiae, ac tandem, sub plena dolorum cessatione, mors ipsa, sequuntur.

Mitiore quidquam sub morbo, et febris, et dolor abdominis, et ipse tenesmus minus urgent; inter liquidas dejectiones interdum hic faeces figuratae, globosae, cum remissione symptomatum eximia, deponuntur; urina nec limpida nimis, nec aequo saturatior excernitur; cutis minus sicca est.

Caruncularum, polypi.

Haud raro, tum in hac ipsa, tum quavis alia dysenteriae sub specie, materia puriformis, ab intestini recti superficie interna morbose secreta, *solidescit*, ac in *pseudomombranas* conversa, variis sub formis, per anum, aut in frustis exiguis, contortis, aspectu floccosis, levissimis, expellitur, et liquidis, simul expulsis materiis *caruncularum* sub nomine, innatat; aut longiores in pellicules, — aut in tubos polyposos, intestini, cui adhaeserant, figuram referentes, efformata, dejectioni-

bus inhaeret; aut demum, ad sat magnam longitudinem, ex ano, ut diu pro *tunica villosa*, ab intestino deterſa, per judicii errorem sit habita, terrorem aegris incutiens, propendat.

Induratio intestini.

Quodsi hae *pseudomembranae* intestino firmius adhaereant ac tandem adarescant: quod quondam in laryngis ac tracheae inflammationibus contingere (§. 173.), et in ipso intestino recto, a phlogosi correpto, factum esse, foeminae exemplo docuimus (§. 243.); — aut si, spatiis fibrarum, tunicarum, intestini intermediis, cellulosis, collectus humor puriformis solidescat, ac istius diametrum imminuat; tunc aegrum, licet hoc a morbo restitutum, perpetuae circa vias stercorales angustiae multaeque miseriae expectant.

Suppuratio intestini.

Nec minora aegros quondam dysentericos mala prement, si, quod magis, eadem in paragrapho, alibique allatis cum exemplis jam satis illustravimus, inflammati et cum vicinis visceribus concreti *suppuratio intestini recti*, aut *colon* sequatur.

Tenesm. chronic.

Tanta vero *tenesmi* fortioris in quavis dysenteriae specie pertinacia est, ut et

morbo jam jam absoluto, in quibusdam ille sat longam temporis per moram, vasorum haemorrhoidalium, a malo praegresso magis turgentium, vel tunicae villose sensibilitati morbosae innixus, continuet.

Asthenicae.

Frequentissima vero inter omnes, *dysenteria* est *asthenica*, etsi haec quoque gradus vehementiae diversos utique agnoscat, atque hoc anno, blandius decurrat; alio autem, *maligna*, vel ipsius pestis in morem, insidias horrendas struat. Qui fidam *typhi*, seu febris nervosae gravioris imaginem a nobis depictam (§§. 82. 83. 88. 91.) coram oculis posuerit, eique jamjam allata partim *dysenteriae* phoenomena, ut *symptoma*, superaddiderit: is longiore hic dirissimi, et vix non integrum sibi soli librum requirentis, morbi descriptione haud facile indigebit. Ut breviter; sed quantum interest, rem expediamus, subita hic et magna, vel summa mox virium vitalium prostratio, cum pulsu exili, inaequali, urina sanae fere simili aut pallida, aquosa, artuum tremore, subsultu tendinum, spasmis, somnolentia;

deliriis, extremis abdominis cruciatibus; interdum fere nullis, tenesmo crudeli, singultu praefocante, lipothymiis, — non raro petechiae, maculae lividae, nigrae, miliaria, — aphthae copiosae tum oris et faucium in cavo, tum in oesophago, ventriculo, intestinis, per sua symptomata (§. 365.) cognoscendae, sese manifestant. Dejectionum numerus hic fere infinitus est, ac tanta interdum per intestina, tenuis saniosae materiae, vel sanguinis soluti evacuatio contingit, et aegros non minus, quam in *ephemera britannica* sudores (§. 85.), quos inversos fere hic sistit, brevi tempore penitus exhauriat. Multis sane partimque gravissimis dysenteriae epidemiis plures apud populos, quibus octo fere per lustra pro viribus adstitisse gloriamur, interfuimus; sed horret adhuc animus ab illa, quam viginti tres ante annos *Bruschsaliae* observavimus. Primum haec teneros infantes quamplurimos, quin opem medicam his parentes ferri curassent, celeriter mactavit, mox adultos, ut solet, pauperum ex classe, morbus corripuit, et jam tertia quartave

die, primis scilicet illius principiis neglectis, magna ex parte trucidavit. Cadaveris sub aspectu aliqui ex istis per cubile ad fenestras profundas vacillantes, nobisque manus jam frigidas et tremulas porrigentes, priusquam de periculo somniassent, sequente jam die exspirabant. Brevissimo tempore haec infelix constitutio et nata, et fausto sub homine extincta fuit. In castris, in urbibus obsidione circumductis, et in classibus maritimis, nec minus in carceribus, ergastulis, strages saepe haec dysenteriae species, immunes, a plebe, ad cives reliquos et ad classes istorum potiores transire solita, edidisse est visa.

Frequentius hac dysenteriae sub specie; *gangraena* tubum intestinorum, imprimis recti, prehendit: quo in casu, tormina quidem, ac ipse tenesmus omnino cessant; sed meteorismus subnascitur, singultus perpetuus, aegrum vix non praefocans, aeruginosus saepe vomitus, extremitatum marmoreum frigus, sudor gelidus, alvus copiosa, cadaveris foetorem spirans, anxietas, non raro sopor, deliria,

oris extrema siccitas, vox rauca, aphonia, dysphagia, facies hippocratica, lipothymiae frequentes accedunt, ac martem vicinam annunciant. Vidimus tamen ubi haec, lethalia aspectu, symptomata per mensem, quin haec ipsa sequeretur, urgebant.

Si mitius dysenteria incesserit, quo ordine symptomata sub morbi principio increverant, hoc demum sub fine illius sensim sensimque minuntur. Tormina et simul suam ferocitatem deponunt, tenesmus mitigatur; flatus hinc inde sonori per anum redduntur, foeces aliquando figuratae cum emolumento, vel saltem pultaceae minusque liquidae secedunt. In aegris quibusdam, exanthema cutaneum, pruriginosum, pustulosum et quasi variolosum, in aliis squamosum, aut crustae lacteae fere simile, in cute, — apud alios, dolor artuum quasi rheumaticus, intestina liberasse videntur. In sat multis diarrhoea chronica dysenteriam, hac ipsa sanatu difficilior, subsequitur. Haemorrhoidalia non raro symptomata a praegressa dysenteria, aut major ani sensibilitas, aut ipse adhuc tenesmus, convalescentes hinc inde sat diu

premunt. Exaustos nimis a morbo graviore homines, aut hydrops, aut tabes tandem perimunt.

Causae. §. 691. Varias *dysenteriae causas* assignaverunt medici: hi enim, et quidem antiquis non minus, ac recentioribus temporibus, *fructus horreos* hunc morbum producere, — illi *frigus autumnale*, maxime nocturnum, post dies calidiores, eidem pro fundamento esse, — alii, *contagium* hunc ipsum generare, — *bilem* sub aestivis caloribus *corruptam* huic asam praebere, — in *constrictione coli* intestini, a faecibus duris irritati rem fere omnem esse positam, alii putarunt.

An fruct. horrei? *Fructus horreos* tanti quidem criminis insontes esse, veterum jam aliqui viri eximii notarunt; et qui dysenterias iis adeo temporibus, quibus aut nulli sunt ex illis aut quo fructus necdum ulli gustari potuerant, epidemice tamen per integras provincias grassari viderunt: illi non vano hanc causam argumento rejecerunt.

An refrigerium? A *frigore*, ac suppresso transpirationis cutaneae ab opere diarrhoeas non paucas

proficisci, ultro concessimus (§. 686.); nec sub fluxu dysenterico, nec ab eo jam sedato, *rheumatismi*, illinc *intestinalis*, hic, vagi, desunt ubique symptomata (§. 690.). Interim vel omni anno, vel mensibus illius quibusvis, refrigerii suppressaeque transpirationis haud deest occasio; nec tamen anno quovis, tempestatis ratione licet iniquo, nec fere aliis, quam serae aestatis ac autumni sub mensibus, intestinorum difficultas venit in conspectum. Accedit, quod in mordo, sub quo, tepido in lectulo detentus aeger, hunc ipsum quovis fere momento nunc deserit, nunc repetit, rheumaticis affectionibus, quin hae ipsae fluxui dysenterico ut causa subfuissent, ansa dari potuerit; et quod, si novo hoc sub morbo, alter ille compesci videatur; hoc ipsum *per successionem* contigisse, ex eo non satis certum sit: quod morbus novus, quidquam atrox, alterius licet originis, antecessori tamen suo saepe legem imponat. In multis sane, quos dysenteria gravis corripuit, nullum omnino praecessit refrigerium; nec tenerum infantum ab illis

satis tutae sunt curae; nec coeli septentrionalis magis, ac meridionalis; aut vicissim, illa progenies est.

An contagium? *Contagii* hoc in morbo rationes nunc satis conspicuae, nunc nullae esse videntur. In castris, exercitibus, in locis obsidione cinctis, in carceribus, ergastulis, nosocomiis, apud plebem, domibus angustis, impuris compressam, et ingressu prior, et frequentior dysenteria esse consuevit. Ast vero nec haec quidem perpetua sunt. Interdum pauci ejusdem habitaculi incolae, interdum plures hoc a morbo plectuntur, Solitariae exempla dysenteriae, et quae in alios, quamvis sibi diu expositos, nequaquam transiverit, haud raro occurrunt. Per decem annos, quibus *Vindobonensi* praefixi fuimus magno nosodochio, plures quidem in illud dysenterici suscepti fuerunt; sed ex his in alios morbus ita non transiit; ut manifesta esset hoc in loco contagii illati propagatio. Nec methodus medendi felicior ubique contagium latuisse satis confirmat.

An bilis? Ex *bile*, *saburris* corruptis, acrioribus dysenteriam quoque, sicut morbos vix non

omnes, aetas nostra, plus quam ulla alia, nimis diu derivavit. Quae interim tot aliis in locis, sed potissime quae de ipsius *cholerae* natura et causis adduximus argumenta (§. 677.), ea hanc olidam scolarum hypothesin satis infringunt; nec medendi ratio melior et hanc magis suffulcit. Qui bilem hic copiosius et acriorem in hepate *secerni*, et sic ex illa morbum, de quo agimus, oriri contendunt: hi, etsi veri quid asserant, *effectum* tamen cum causa confundunt.

Opinio nostra.

Sed magni certe momenti, ac rerum sub indagine, *intermittens* hinc inde dysenteriae character est. Haec morbi indoles scilicet jam sola satis ostendit, dysenteriam alterius morbi *symptoma* esse posse: unde facile, nunc saepius atque aliis sub rerum conditionibus hoc modo morbus incedat, quod certe de *scorbuto* dicendum est necessitas, eruendi deducitur.

Non alius est, qui guttur, seu *intestinorum* per fauces introitum, — quam qui anum rectumve intestinum, seu *intestinorum exitum*, occupet morbus; ac summa plures *cynanchis* species inter atque *dy-*

senteriam affinitas intercedit. In angina fortiore, sensus ardoris, rubor, inflatio, tensio, puriformis, interdum subcruenti humoris secretio screatio continua, deglutiendi nisus perpetuus, dolore plenus, ac *tenesmo* qui ad anum est dysentericis, in omnibus persimilis, occurrunt. *Cynanches membranacea*, *ulcerosa*, cum *dysenteria gravi*, sed potissime cum *maligna*, vix non in omnibus conspirant; ac sicut maculae cinereae, ex livido nigrescentes, gangraenosae foetidaeque illinc fauces, oesophagum, laryngem, — ita rectum, vel et colon intestinum, in illis, quos *dysenteria* enecuit, frequenter occupare cernuntur. Quae hoc in morbo caruncu-lae, pseudomembranae, concretiones polyposae per anum haud raro secedunt: illae in *cynanche membranacea* per tussin expelluntur.

Atqui cynanche quaevis, nisi *localem* modo affectionem constituens, non morbus princeps, sed constitutionis, febris, nunc hujus, nunc vero illius *symptoma* est; ac ipsa angina ulcerosa, *scarlatinae* cum typho majore incedentis satellitem

exhibet. Quodsi ergo febris, quae morbum talem, vel quae dysenteriam malignam pro symptomate agnoscit, *contagio* suam debuerit originem: difficultas quoque ipsa intestinorum particeps erit contagii, nec tamen erit illis in casibus, in quibus morbi contagiosi effectus non fuerit. Causae hic certe non requiruntur *specificae*; sed quae hiberno sub gelu pneumonias, typhos, — quae verno tempore catarrhos, faucium affectiones multiplices, erysipelata, quae aestivo, iterum febres asthenicas cum alvi fluxu copioso, et alia inducunt: illae ipsae (quo certe et frigus, et transpirationis snppressio, et rheumatismus, et alia bene multa pertinebunt) alium in modum directae, autumni sub decursu huic formae favente, intestinum magis rectum et colon afficient, ac praeter febris sibi propriae, nunc intermittentis, *dysenteriae* quoque symptomata excitabunt. Fructus quidem horrei, dysenteriae culpam epidemicae non habent; sed quidquid de illorum adeo virtute in illa sit dictum, in copia ingesti, imprimis immaturi, aquosi, ubi pronum jam cor-

pus in hunc morbum est, eundem magis prompte invitabunt. Eadem de multis oleribus, ab excrementis, succis suspectis, laevis plurimorum insectorum, uligine, ve alio morbo praeter morem obsessis, correptis dicenda sunt: quae igitur esculenta curam magristratuum majorem adventante sub autumno sibi semper exposcent.

Effectus dysenteriae frequens, inflammatio, diversae indolis, intestini recti, aut coli, erysipelacea, interdum profundior, est. Raro *ulcus*, quod Veteres hic morbi accusarunt, interdum tamen, subnascitur. Per dies novemdecim hoc morbo aegrotaverat mulier, tres ante annos in *Vindobonensi* nosocomio defuncta. In recto intestino non minus, ac colo sinistro atque transverso, inflammationis comparebant vestigia atque *vera* hinc inde *exulceratio.* Alibi, dictorum canalium superficies interna a pseudomembrana atque variis excrescentiis erat obducta. In casu lethali frequentissime gangraena succedit. Intestina crassa in aliis, ut diximus, hoc a morbo solito densiora, rigida, coriacea, et contracta reperta fuerunt.

§. 692. Prognosis hoc in morbo momenta, tum ex aegri praegressa conditione, febris morbum inchoantis ex indole, tum ex cognito gradatim epidemicae constitutionis charactere, ac tandem ex serie et successione symptomatum, eruenda sunt. Prognosis.

Aetas tenerior, provecta nimis, pubertatis instans periodus, graviditas, puerperium, corporis habitus debilis, valetudinarius, pusillanimitas, dysenteriae pericula augent.

Quam *febris intermittens*, ut symptoma, producit aegritudinem, hanc recta illius pertractatio facile satis dissipat. Vidimus et nos, praevia huic febri periodicae, dysenteriam, ut morbum alienum, successisse eamque suspendisse; cum vero haec ipsa sanata jam esset, febris iterum quartanae typum, ut antehac, rediisse. Dysenteriae ex febre *energica* venientis, aut intestinalis modo catarrhi specimen sistentis, haud tanta, sub cura morbi debita, esse solent discrimina. Neglectis vero mali principiis, enteritis et gangraena timendae sunt. Profluvium cruoris ex ano,

etiam sat multi, sub hujus morbi exordio proficuum esse solet. Dysenteria, febris astenicae intensae, contagiosae, seu typhi gravioris effectus; quamplurium ominosa est. Saepe febris lenta nervosa dysenteriam sub initio satis mitem offert, atque sub symptomatum apparatu non magno insidiose blanditur, eundo vero larvam mox abjicit, ac improvisa nunc struit pericula. Saepius mox primus morbi insultus aperte satis haec prodit: virium prostratio conspicua, ventriculi oppressio, vomitus, dolor abdominis atrox, continua, sed vana desidendi cupiditas, tenesmus, parturientis nixui mulieris aequalis, nec fere desinens, dejectio pauca, nunc rubra, nunc alba, scenam aperiunt, typhique gravioris sibi prompte symptomata succedunt; donec viribus in totum dejectis, aut novus sub fine morbi vomitus, aeruginosae bilis rejectio, vel cardialgia gravis, vel infamis medicis singultus, ardor abdominis fixus, continuus, meteorismus sequantur, ac praeter petechias, aut maculas nigras in cute comparentes, aphtharum cohors per oesopha-

gum ascendat, oris cavum, linguam obducat, vocem omnem ac deglutitionem elidat, suspendat. Tandem dolor quidem omnis in abdomine cessat; nec tamen singultus supprimitur, sed, quod supra (§. 690.) jam monuimus, facie collapsa, pallida, vel brunea, oris antro sicissimo, nigrescente, soporosus, oculis semiapertis, in dorso, cruribus inverecunde divaricatis, jacet aeger, ac praeviis borborygmis, deleto sphyncteris ani officio, alvum liquidam, nunc multam, bruneam, subnigram, foetidissimam, inscius amittit. Facile nunc lipothymiae sibi succedunt, subsiliunt continuo tendines, extremitates frigent, sudor viscidus, glutinosus has obducit, ac tandem, tempore non aequali, sed ad dies quindecim, viginti, aut longe plures extenso, interdum sat brevi, finis tantis miseriis, ac vitae imponitur. Paucissimi, sed, ut jam supra monuimus, aliqui tamen; hinc inde vitam, vix non in totum amissam, lento passu recuperant. Paucarum dierum spatio dysenterias malignas subinde mortem induxisse, jam diximus.

Est, ubi prima dysenteriae epidemicae invasio quamplurimis, — sub fine vero paucis, lethalis sit. Inverso prorsus ordine haec res interdum incedit, vel et medio regnantis morbi tempore major erit civium jactura. Hiberno redeunte gelu, morbus plerumque disparet, illis nempe, quos chronica nunc diarrhoea divexat, exceptis.

Nec semper tam funestus morbus dysenteria est; atque tunc praeclara methodum nunc hanc, nunc illam venditandi, offertur occasio. Bonum erit utique, si rariores sint, aut fiant alvi excretiones, faeces vero copiosiores, pultaceae, et cum dolorum moderamine deponantur. Cutem hoc in morbo fieri mollem, tractabilem, vaporosam, vel amplo, non viscido sudore madescere, urinas et flatus sonoros facile secedere, opportunum est.

Cura. §. 693. Tam diversa causarum, quae dysenteriam inducunt (§. 691.), et morbi ipsius ex indole, erui satis potest non unam huic malo medendi methodum esse opponendam. Insano quidem nisu vulgus

in sistendo hoc profluvio vix non unicam ponit operam, ac insignem *antydisentericorum*, adstringentium scilicet, stipticorum, opiatorum, consulit catalogum; sed qui hos agyrtarum vetularumque errores correcturi, ex vana hypothesi, ubique bilem rancidam, rodentem, saburrasque olent, ac in his per repetita emetica et per evacuantia alvum remedia eliminandis, dies noctesque terunt, non minores hi generi humano strages parant.

Quodsi nempe dysenteria subjecta robusta, juvenilia, succiplena, vel quavis ex ratione ad morbos energicos disposita corripiat, ac febris *hypersthenicae* symptoma constituat; si dolor intestinorum atrox, ventris major ad attactum sensibilitas, tenesmus vehemens hominem divexent; si pulsus satis constans, magnus ac vibrans, aut prae doloris vehementia contractus, parvus, sed durus compareat; tunc facta, atque repetita adeo primis morbi temporibus venae sectio, ac methodus debilitans, praestantissimum et unicum subsidium, — neglecta vero, imprimis ubi stiptica, opiata, vel alia exci-

tantia remedia propinantur, dirae hominem enteritidis praedam constituet.

Etsi vero dysentericorum cadavera, intestina hinc inde non parum inflammata ostendant plerumque; vix tamen primis morbi, non summi, diebus, aut interdum nequidem a morte, haec ita se habebunt; sed istis, aut sine cura debita, aut perversa sub methodo transactis, oportet sane ut canales illi membranacei, tot vasis sanguineis instructi, atque tam sensibiles, inflammationem tandem localem saepissime concipiant, ac dirae periculo gangraenae submittantur.

Non mirum igitur esse dicamus, si facta prius una alterave venaesectione, vel sub morbo non summopere inflammatorio, sed fere catarrhali, hac adeo omissa, aut *emeticum* porrectum noxam semper non tulerit, aut blanda ex tamarindorum pulpa, manna, oleo ricini americani, aliquoties exhibita *evacuantia*, — non quod bilem, ut morbi causam, egesserint, sed quod emesis diaphoresin saepe moverit, evacuantia vero alvum remedia vires superabundantes aegrorum, fluidorum blau-

da cum subractione, infregerint, opem ferre sint visa. Hoc scilicet, et complicationis manifeste *gastricae* sub casu, methodus alvum evacuans, in dysenteriae, vel parum, vel magis sthenicae, principio adhibita, laudem, quam omnes fere hujus morbi ad species multi nimis extenderunt, aliquando meretur. Sunt tamen, quibus, ob majorem intestinorum irritabilitatem, modo sola venaesectio et stimuli cujusvis fuga conveniat; evacuantia vero quaecunque, sic ut in *corryza* inflammatoria *sternutatoria* certe facerent, morbum mox adaugeant. Hac in specie dysenteriae quibusdam fructus horrei probe maturi, ac moderate ingesti, cum alvum blande subduxissent, auxilio fuerunt. Aliis, hi ipsi, ob flatus quos generant, ac ipsa adeo acida mitiora, tormina mox revocant. Pro potu, emulsio amygdalina, sed tenuis, et quae minus nutriat, vel leve hordei, avenae, panis albi decoctum conveniet. Nitrum, quod minore in dosi parum praestat, nec hic certe refrigerat, majore vero pondere praescriptum intestina lacessit, his non addimus. Prout vero injectio-

nes quondam sub sthenica *cynanche* in fauces institutae, has aperte irritare ac magis incendere solebant: ita et intestinorum hac sub difficultate, nisi faeces illis durae inhaereant, *clysteres*, quamvis ex rebus mucilaginosis constantes, et copia non magna injecti, saepe magis irritant, quam causam mali auferunt. Sub majore abdominis dolore, fracto jam satis cruoris impetu, fomentationes tepidae ex lacte cum lini seminibus, aut cum herba malvae cocto paratae, modo lecto aeger fixus inhaereat, eundem froenabunt.

Sedato febris hypersthenicae furore, nec tamen, nisi simplicis catarrhi intestinalis sub casu, maturius, sub tempore lecti, diapnoica mitiora, ex infuso sambuci, melissae, et spiritu, ut vocant mindereri, praescribimus. Antimonialia, opium et camphora, nisi morbo jamjam in asthenicum converso, latentes adhuc sub cineribus ignes facile in flammas provocabunt.

D. asthenicae. *Asthenicae cura dysenteriae*, pro gradu ac indole febris, cujus haec symptoma constituit, diversis, mitiora nunc auxi-

lia, nunc vero efficaciorem sibi methodum requirit.

Levior interdum adynamia a refrigerio inducta, catharralem intestinorum affectionem cum dysenteriae mitioris symptomatis producit: ad quae fuganda, tepor lecti constans, infusa aromatica, in transpirationis incrementum tepide epota, spiritus mindereri, pulvis dovveri, vel tinctura antimonii cum parca dosi opii, et mucilaginis gummi arabici vel tragacanthae portione jam sufficiunt. Emetica hoc rerum sub statu porrecta, magis quod diaphoresin promoveant, quam quod bilem, hic innocentem, expellant, subinde conducunt; meliora tamen erunt quae tanto sine tumultu eosdem effectus praestare non inepta sunt.

Quidquod *gravior* adeo *febris asthenica* sub forma *nervosae versatilis*, cum dysenteria incedens, maxime si contagium subfuerit, a solis volatilibus et opii portione admista, utpote quae incitant et secretionem in cute augent, auxilium saepe habeat. In India occidentali, ubi haec dysenteriae species frequentius occurrit,

venam prius tundunt, dein vomitum cum ippecacuanhae radice, alvum vero cum vitro antimonii, movent; et, obtecto mox corpore, cum pulvere dovveri, aut cum vino autimonii atque opii portione sudorem ampium eliciunt. Ad venae sectionem quod pertinet, ea, in vera febre asthenica indicari certe haud potest; suspicamur interim, sub tropicis morbos non paucos acutos, sub sua invasione, *sthenicae* potius indolis esse, ac, vi stimuli majoris, citius quam alibi in *asthenicos* transire: igitur sub primo tam praecipitis morbi insultu, sub ventris dolore atroci, ac pulsu contracto et duro, sanguinis mittendi necessitas omnino subintret. Ad emeticum, et ad vitrum antimonii quod spectat, fatetur vir clarus, illis in locis medicinam professus, haec ipsa non tam evacuationis abdominalis ad gratiam, quam sudoris movendi ad finem praescribi; nec reticet, quod in casu morbi subitanei ac admodum violenti, ne aeger conctando perimatûr, ad opium, et ad cordialia, non inepte sic dicta, illico recurrendum sit.

Monuimus haec ideo, quod quovis sub

coelo, sicut quondam de ipsa *peste* jam diximus, ac sicut de *febre flava* partim nunc notum est, talia, *sthenici* sub principio, — sed hoc neglecto, mox *indirecte asthenici*, exempla mali, ex causis ubique non obviis, oriri bene possint: in quibus, methodum medendi, hodiernae theoriae, primo saltem aspectu, adversam, sed experientia confirmatam, rejecto praeconceptae opinionis jugo, amplecti non ultro quam aequum est haesitemus.

In communi igitur dysenteria *astheni_ca* graviore, quin vel de emetico, vel de purgate alvum remedio somniemus, quidquid in contrarium sit dictum, experientia suffulti, mox ad opium, vel in emulsione cum gummi arabici mucilagine, vel in decocto salep solutum, recurrimus. Similia, cum tenesmus nimis urget, ano, pauca quantitate, tepide committimus; ventri vero admodum dolenti fomentationes aromaticas, tum siccas, tum humidas, vinosas, vel simile cataplasma, — vel, malo magis premente, vesicans, ad cutis modo rubedinem, imponimus. Quas ab opio, hac morbi sub specie, *paralyses*

derivarunt, has nos quidem non conspeximus; sed et sine usu opii hinc inde dysentericis membra resolvi, jam diximus.

Si vires magis magisque fractae id exigant, opium cum camphora, vel cum moscho et gummi arabico jungi, ac demum singula quae in febre nervosa graviore consulimus (§. 94), imprimis vinum rubrum cum cortice cinnamomi infuso, morbo discrimine pleno opponi oportet. Magnos certis hujus febris in casibus tepido a balneo effectus obtinuimus; in dysenteria vero gravi, sub tanta aegrorum debilitate, ac sub tam continuo ad alvum deponendam nisu, rara satis, rarior apud pauperes, illud administrandi concedetur occasio.

De *vitro cerato antimonii*, quondam, --- de *nuce vomica*, nostris temporibus tam intense hoc in morbo laudatis, nec tamen multis a medicis hanc usque in diem continuatis, --- de *floribus sulphuris* cum *sale ammoniaco* jungendis, --- de *electuario cerae*, --- quod ad talia confugere nos hic coactos necdum vide-

rimus, aliorum quidem effata venerantes, sed propria experientia destituti, sermonem non movemus. Nec usum *mercurii* (primum ab Angliae quibusdam medicis, deinde *Ticini*, jam duodecim abhinc annis a viro claro publice laudati, — quamvis hoc genus remedii in morbo dysenteriae affini, in *cynanche* scilicet *membranacea*, et frequentius nunc in *hepatitide asthenica*, cum fructu adhibuerimus): ex dictis rationibus, quin ideo his consiliis remittamus, tentavimus. Neque tantam nos, inter febrem *nervosam versatilem* (§. 87.) atque *nervosam stupidam* (§. 88.), tum denique inter *pituitosam* (§. 101.), nisi *formae* differentiam esse hucusque credimus, ut dysenteriae, sub hac, vel illa febris ejusdem sub veste incedenti, diversam adeo medendi methodum adoptandam esse censeamus. Hoc interim hic non reticebimus, stimuli hac adynamiae sub specie ipsis intestinis ingesti rationem, ex eo quidem in genere diversam esse debere: quod illa partem prae coeteris irritatam prima sua actione mox allidat, et facile hinc violentius quam

aequum sit, eandem afficere queat. Quare utique conspicuo admodum sub *sensibilitatis* intestinalis augmento, mitiora, et quidem rebus mucilaginosis juncta, — sub *stupore* vero, fortiora et magis nuda excitantia adhibenda veniunt.

Primis igitur febris asthenicae cum dysenteria incedentis temporibus, stimuli magis volatiles ex dictis indicati sunt. Quodsi vero morbus quidquam adultus his solis non cedat: tunc permanentes seu fixi magis stimuli eisdem jungendi sunt. Hoc scilicet temporis sub stadio, nec fere prius, *corticis simarubae* decoctum, cui aquae cinnamomi simplicis, interdum et opii portio adjecta fuerat, quamplurimum nobis praestitit. Capta cum *lithro salicaria*, seu *lysimachia purpurea*, hoc in morbo experimenta, spem nostram, et multorum illam fefellerunt.

D. complicatae. Si febris vel sthenica, vel asthenica, cum *bile* morbose secreta, aut cum *gastricis saburris* manifeste incedat: tunc certe, praemissa, in primo casu, phlebo-

tomia, in secundo vero, exclusa, emeticum et purgans alvum remedium sat blandum, donec ad suam simplicitatem reductus, et nunc aliter tractandus sit morbus, indicatur. Sat raro *vermes* tantis intestinorum in dysenteria motibus diu resistunt, vel a morte in illis reperiuntur. Vidimus tamen ante triginta fere annos virginem hoc a morbo extreme labefactatam : cui tandem gravis singultus mortem minari videbatur; cum verme, ascaride lumbricoide, per vomitum spontaneum rejecto, mox ille, ac morbus ipse sat cito cessaverit.

Dysenteria periodica, intermittentis febris soboles, istius in modum, cum opio, mucilaginis gummi arabici ope aquae aromaticae juncto, ac demum peruviano cum cortice fuganda est. D. intermittent.

Si longum in tempus dysenteria trahatur : tenesmum tunc illa, et tormina, saltem violenta, febrimque, nisi lentam forte, deponit, blennorrhoeae intestinalis, seu *diarrhoeae chronicae* indolem assumit, ac ut ista (§. 686.), quod magnae molis opus constituet, pertractanda est. D. chronicae.

Cautela. Sedato tandem morbo dysenterico, ejusdem recursus, facillimus, quavis cum cura, per adaptatam cuivis illius speciei diaetam, per medicamenta huic propria, maxime vero per atmosphaerae frigidae fugam diuturnam, praecavendus est.

FINIS.